

facto excommunicationem summo Pontifici reservatam. Insuper collator suspenditur ipso iure, a collatione quorumcumque Ordinum, & etiam primæ tonsuræ, & ab usu Pontificalium; & est interdictus ab ingressu Ecclesiæ; & si suspensionem, vel interdictum violet, ab Ecclesiæ regimine, & administratione suspenditur. nu. 14. Simoniace vero ordinatus incurrit ipso facto suspensionem ab exercitio Ordinum, a qua non excusat ignorantia. Probabiliter autem intelligitur de Ordinibus simoniace receptis. Quod si suspensionem violet, fit irregularis, sicuti omnis alius censuras violans. n. 15.

133. Pœnæ a iure statutz pro simoniaci receptionibus, collationibus, nominationibus ad officia, & Beneficia Ecclesiastica intelliguntur de officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis proprie talibus; unde sub illis non comprehenduntur Pensiones, Vicariæ ad nutum amovibiles, Capellaniz ad collativæ, quia Beneficia proprie non sunt: nec officium Inquisitoris, Legati, aut similia, quia non sunt proprie officia Ecclesiastica: bene vero Abbatiz, Prioratus, Provincialatus, Generalatus, sunt enim proprie officia Ecclesiastica, & quodammodo Beneficia. Tract. 19. cap. 4. nu. 16. Simoniace conferentes, vel procurantes alteri officium, aut Beneficium Ecclesiasticum electione, postulatione, nominatione, confirmatione, sive publice, sive secreto; necnon recipientes, & omnes adjuvantes, sive procurantes ut Beneficium simoniace detur, incurrunnt ipso facto excommunicationem summo Pontifici reservatam. Insuper irritantur, & annullantur omnes huiusmodi provisiones, & collationes, ita ut nullum jus per eas acquiratur; & recipiens tenetur ante omnem iudicis sententiam ad dimissionem Beneficii simoniace recepti, & ad restitutionem fructuum, etiam si simonia non ab ipso, sed ab alio tertio, ipso tamen sciente, & non contradicente commissa sit. Si autem invincibiliter hoc ignoravit; collatio quidem irrita est, non tamen incurrit ex-

communicationem; nec fructus bonæ fide consumptos restituere tenetur. Et si per triennium bona fide possiderit Beneficium, ei amplius li moveri non potest. Si simonia committatur ab alio tertio, ipso sciente, & contradicente, valet collatio. n. 17. 18.

134. Cardinales, Episcopi, & alii Prælati simoniam confidentialiter committentes, sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ; & si ingrediantur, irregulares fiunt. Inferiores vero eam committentes, ipso facto, incurrunnt excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Resignatio insuper, & collatio taliter factæ nullæ sunt; ideoque Beneficium sic recipiens non facit fructus suos; sed ante omnem iudicis sententiam Beneficium dimittere, & fructus perceptos restituere tenetur, licet simonia ex parte ipsius recipientis completa non sit; & tandem fit inhabilis in perpetuum ad idem Beneficium obtinendum. Collatio vero talis Beneficii Sedi Apostolicæ reservatur. Insuper Beneficium confidentialiter recipiens privatur ipso iure, post sententiam tamen declaratoriam criminis, omnibus Beneficiis antea rite obtentis, & fit inhabilis ad illa, vel alia quæcumque in posterum obtinenda. Idemque dicendum de examinatis Synodalibus, pro approbatione ad Beneficia aliquid recipientibus. Tract. 19. cap. 3. num. 72. 73. cap. 4. num. 19. Ut pœnæ simoniæ tam confidentialis, quam cujuscunque alterius incurrantur, non requiritur quod collatio, renunciatio &c. validæ sint, sed sufficit quod actus simoniacus validus esset si non obliaret simonia. Si vero actus, etiam non interveniente simonia, esset invalidus, propter illum pœnæ minime incurrunntur: ut si quis Beneficium confidentialiter renunciet, sine auctoritate ejus qui talem renunciationem admittit, offert; quia talis renunciatio nulla est, etiam independenter a simonia. c. 3. n. 73.

135. Re spiritali non tradita, pretium restituendum est ei qui illud dedit: re vero spiritali tradita, pretium pro

pro Religionis ingressu restituendum est illi Monasterio, in quo detrudendus est Religiosus simoniace professus: pretium vero pro Ordine, vel Beneficio tradendum est illi Ecclesiæ, cui irrogata est injuria, vel pauperibus; & si ipse qui recepit sit pauper, poterit sibi titulo pauperatis retinere in sententia probabili. Fructus Beneficii simoniace recepti restituendi sunt Ecclesiæ, in qua situm est Beneficium; & probabile est etiam posse distribui inter pauperes, vel successoribus relinqui: vel posse fieri compositionem cum Summo Pontifice. Igitur in sola reali simonia commissa, in receptione Ordinis, Beneficii, & Religionis tenentur simoniaci ad restitutionem pretium, ante sententiam iudicis ex jure positivo Ecclesiastico tantum; pretium vero receptum ob simoniam in aliis materiis, nec ex jure Divino, nec ex jure Ecclesiastico restituendum est. Quod si forte cum simonia etiam injustitia conjugatur, ut cum quis ut vexare desinat aliquid accipit: cum elector pro eligendo dignum; vel cum Parochus pro administrandis Sacramentis pretium accipit: tunc enim pretii restitutio ex jure Divino, & naturali facienda est. Tract. 19. cap. 4. n. 26. 28. 30. 31. 32.

136. A suspensione ab Ordine simoniace recepto solus Pontifex dispensare potest; a suspensione vero quoad alios Ordines legitime receptos, etiam Episcopus cum ignoranter simoniace ordinato, secus vero cum scienter simoniace ordinato. Suspendio incurrit a Simoniace ordinato, & illa quam incurrit Conventus; vel Capitulum ob simoniam Religiosi receptionem sunt pariter Papæ reservatæ. Ab excommunicatione incurrit ob simoniam in Ordine, Beneficio, aut Religione, solus Papa absolvere potest. Verum ab omnibus his censuris, si publicæ non sint, & ad forum contentiosum non deductæ, Episcopus juxta Trident. sess. 24. cap. 6. de reform. absolvere potest. Tract. 19. cap. 4. num. 34. Si Beneficium per simoniam ignoranter acceptum, (simonia

nia videlicet ab aliis ipso ignorante commissa, & simplex fuerit, & cognita simonia Beneficiarius sponte renunciet, potest Episcopus dispensare ut illudmet Beneficium habeat in ea vacatione: nomine autem Beneficii simplicis veniunt etiam Canonici Cathedralis; & alia quæ curam animarum non habent. Quod si sponte non renunciet, sed expectet sententiam iudicis illum privantis Beneficio, non poterit Episcopus dispensare, ut Beneficium illud, ea vice obtineat. Si Beneficium illud sit Curatum, Dignitas, aut Prælatura, etiam si cognita simonia sponte renunciet, non poterit Episcopus dispensare, ut pro illa vice tale Beneficium obtineat. num. 35. 36. 37. Si quis scienter renunciet simoniace Beneficio sive simplex, sive Curatum, etiam si sponte renunciet, nequit Episcopus sive pro illa vice, sive pro alia dispensare, ut idem Beneficium obtineat, sed semper ad illud remanet inhabilis; poterit tamen cum ipso dispensare, super inhabilitate quoad alia Beneficia, si sponte renunciet; secus vero si sententiam expectet, num. 38. In casibus in quibus potest Episcopus cum simoniaco dispensare in Ordine, aut Beneficio, poterit etiam Episcopus ille, cum quo talis simonia commissa est. num. 39. Pontifex scienter simoniaco Beneficio confersens, cum illo in inhabilitate dispensare censetur pro illo casu, & respectu illius Beneficii tantum; non enim presumendum est eum velle efficere actum nullum. n. 40.

## TRACTATUS III.

### De secundo Decalogi præcepto.

#### PROEMIUM.

Secundum Decalogi præceptum est: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Tripliciter potest Dei Nomen

men assumi : Primo. Per modum juramenti ad propria verba confirmanda : Secundo. Per modum adjurationis : Tertio. Per modum invocationis . De tertio modo actum est, ubi de Oratione. De 1. & 2. agetur in præsentî tractatu : simul autem cum juramento , propter connexionem materiæ agetur de voto.

## CAPUT I

## De Juramento.

## §. I.

*Quid, & quotuplex sit juramentum ; de ejus conditionibus, & materia.*

1. **Juramentum est invocatio Divini nominis ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.** Quando dirigitur ad hominem debet verbis, vel signis manifestari : & ubi leges aliquam formulam præscribunt, omnino servanda est. Ad verum juramentum requiritur libertas, & animus adducendi Deum in testem. Tract. 17. cap. 2. num. 3. Ex parte rei juratæ dividitur juramentum in asseritorium, & promissorium ; ad quod reducitur etiam comminatorium . Per asseritorium confirmatur veritas de præsentî, quæ etiam extenditur ad præterita . Per promissorium confirmatur promissio rei futuræ, ad quod omnino requiritur animus adimplendi, Tract. 17. cap. 2. num. 15. Ex parte modi jurandi dividitur juramentum in simplex, & solemne . Solemne est quod cum aliqua speciali circumstantia, ut v. gr. tactis Evangelii, Cruce &c. exhibetur ; simplex est quod tali solemnitate caret . Dividitur insuper in judiciale, & extrajudiciale : expressum, & tacitum ; testimoniativum, & execratorium . Judiciale est quod coram legitimo iudice exhibetur : extrajudiciale, quod extra iudicium præstatur . Expressum est, quo Deus expresse invocatur : tacitum, quod fit per creaturas, in quibus tacite divinum testimonium inducitur . Tripliciter autem potest quis per creaturas ju-

rare : Primo. Adducendo illas ut testes infallibiles veritatis ; & hoc est blasphemum : Secundo. Eas adducendo secundum scientiam, & dignitatem suam propriam ; quod nec est illicitum, nec verum juramentum : Tertio. Eas adducendo ut referuntur ad Deum ; & tunc est verum juramentum, & tacite juratur per Deum . Qui per viliores creaturas jurat, ut per capillos, per muscam, &c. non censetur regulariter jurare per Deum . Contestatorium simpliciter est, quo Deus simpliciter adducitur in testimonium veritatis : execratorium addit imprecationem ; cum scilicet nos, vel rem nobis charam divinæ ultioni subijcimus, si non ita est ; quod fit vel implicite ut cum dicitur. Per vitam meam, &c. vel explicite, dicendo v. g. Per eam, si ita non est. Tract. 17. c. 2. n. 13. 14. 16.

2. Probabilius est omnia juramenta in ratione juramenti esse ejusdem speciei ; potest tamen juramento adjungi alia malitiæ species, v. g. blasphemix, injustitiæ, &c. Tract. 17. cap. 2. nu. 18. 20. Alia sunt verba, quæ ex communi acceptione pro juramento habentur, ut : Per Deum : Testis est mihi Deus : sicut Credo in Deum : Per Fidem Dei : Per vitam meam : Per animam meam : Per Cælum Dei : Sic me Deus adjuvet : Statim moriar, &c. Alia communitur vi juramenti carent : ut v. gr. Per fidem meam : In fide boni viri, &c. Alia dubia sunt, & pendent ex intentione proferentis, ut : Coram Deo ita est : Deus scit ; & similia . num. 21. &c. De Fide est juramentum ex se licitum, & laudabile esse . num. 29. Ut juramentum licite, & laudabiliter usurpetur tres conditiones, jure naturali, & divino exiguntur, quæ juramenti comites appellantur, scilicet Veritas, justitia, & judicium : Defectus judicii, seu discretionis, sive debitæ necessitatis, in juramento tam asseritorio quam promissorio, nisi ex hoc sequatur periculum falso, vel injuste jurandi . num. 34. 37. Defectus veritatis in juramento asseritorio semper

est peccatum mortale, etiamsi res sit levis, vel nullius momenti ; etiamsi ex joco juretur : immo ex joco, vel in re levioris momenti falsa jurare, gravius est peccatum . A mortali non excusat finis quantumvis sanctus, aut necessitas, aut quicumque alius titulus, si juramentum falsum sit, sed tantum defectus advertentiæ . Requiritur autem ad mortale quod jurans advertat se jurare ; & esse falsum quod jurat, vel ejus veritatem non sufficienter examinasse . num. 38. 39. 40.

3. Rem dubiam jurare ut certam, vel certam ut dubiam, est peccatum mortale . Non tamen requiritur ad jurandum omnimoda, & infallibilis certitudo, & notitia, sed prudens, & rationabilis . Tract. 17. cap. 2. n. 41. 42. Qui rem a viro fide digno audivit, moraliter certus est, & potest eam absolute jurare, non tamen in judicio, nisi addat se id scire ex auditu ; quia testis ex auditu minus probat . Quare in judicio, nemo potest rem ut certam asserere, nisi ex visu, & præsentia propria . num. 44. Defectus justitiæ in juramento asseritorio non est peccatum mortale, nisi quando juramentum assumitur ut instrumentum peccati, ut qui cum juramento proximum infamaret, vel ei detraheret . nu. 47. Duplex veritas in juramento promissorio requiritur, alia primaria, quæ est de præsentî, scilicet quod jurans habeat animum exequendi quod promittit : alia secundaria seu de futuro, scilicet quod executioni mandetur, quod promissum fuit . Defectus veritatis de præsentî in juramento promissorio, semper est peccatum mortale, sive res sit gravis, sive levis ; sive licita, sive illicita . Peccat etiam mortaliter qui jurat credens, vel dubitans se non adimpleturum, quod jurat . Juramenta quæ fiunt ad se invicem honore præveniendum, ut cum quis jurat, se non ingressurum ante alios, aut non prius sessurum, &c. ut sint vera sufficit, quod conformentur sensui, quem communitur faciunt, scilicet. Quantum in me est, prius non sedebo, non ingrediar &c. num. 48. 49.

4. Defectus veritatis de futuro in juramento promissorio, si sit de re gravi, est peccatum mortale : secus si de re levi. Tract. 17. cap. 2. num. 50. 53. Qui hyperbolice jurat, ut verum juret, tam in juramento asseritorio, quam promissorio, non requiritur ut se conformet verbis ut sonant ; sed secundum sensum, quem communitur faciunt ; & ideo in neutro casu peccat qui hyperbolice jurat, dummodo juxta usitatum modum loquendi, veritas de præsentî, & de futuro non desit, num. 55. Promissio etiam jurata facta in alterius commo- dum, usque dum non est acceptata, revocari potest, & non impleri sine violatione juramenti ; quia juramentum in tali casu, utpote accessorium sequitur naturam promissionis . Secus si talis promissio v. g. de elemosina fit facta in honorem Dei ; quia tunc coincidit cum voto . n. 56.

5. Qui absque justitia juramentum promissorium emittit in re gravi, seu mortaliter peccaminosa, duplex mortale committit, si animo adimplendi juravit, scilicet juramenti iniqui, & pravi propositi ; si vero sine animo adimplendi, unum gravissimum commisit, ex defectu justitiæ, & veritatis . Quod si res promissa sit venialis mala, vel contra consilia, vel indifferens, & adit animus adimplendi, erit tale juramentum peccatum veniale duplex : si vero absque animo adimplendi, erit mortale ex defectu veritatis . Adimplens juramentum de re venialiter mala, regulariter loquendo peccat solum venialiter ; quia vulgaris quadam ignorantia id facere videtur, credens se juramenti Religione teneri : Hac tamen ignorantia scilicet, executio peccati venialis, aut contra consilia, quia jurata, est ex se peccatum mortale ; quia blasphemum est offerre Deo peccatum, vel quod est contra consilia, quasi quid Deo placeat. Tract. 17. cap. 2. n. 57. 58. 59.

6. De juramento comminatorio quoad justitiam, & veritatem eodem modo philosophandum ac de promissorio . Qui comminatorie juravit, excusat ab a-

dimplectione, cessante causa emissi juramenti, vel superveniente aliqua ratione non indigendi talem poenam; si poena non amplius opus sit; si delinquens sit emendatus; si amicus intercessit, quia sub his conditionibus, tale juramentum censetur emissum. Item si tale juramentum ortum fuit ex passione iræ, vel inordinatæ vindictæ: item quando illa poena parum, vel nihil conducit ad finem correctionis. Ad hyperbolici juramenti comminatorii veritatem, v. gr. cum quis jurat se filium occisurum, caput ei fracturum &c. sufficit animus eum graviter puniendi. Tract. 17. cap. 2. num. 60. 62. 63. Juramentum vel fit soli Deo, in honorem ejus aliquid promittendo, & sic coincidit cum voto, & habet eandem materiam; ideoque juramentum de re, aliquo modo illicita, invalidum est, nec indiget relaxatione; Similiter est nullum juramentum de re impossibili, vel admodum difficili observationis, de re otiosa, vel quæ omnibus inspectis, est indifferens, & de rebus contra consilia, prout latius ubi de materia voti: Vel fit homini in ejus commodum, & utilitatem; & de hujus materia & obligatione quam inducit, in sequenti §. agetur. num. 65. Gravius peccatum est transgressio juramenti soli Deo facti, quam homini. n. 66.

## §. II.

De obligatione, quam juramentum inducit.

7. Juramentum homini factum includit obligationem Religionis, & justitiæ, ac fidelitatis; & ideo gravius peccatum est homicidium, aliisque peccatis contra justitiam, quæcumque juramenti transgressio. Tract. 17. cap. 2. num. 66. Ut juramentum homini factum obligationem inducat, non attenditur, nisi quod res promissa sit licita, & honesta; quare si sit possibilis, & in commodum alterius cedat, semper obligat, si absque peccato impleri possit; secus si ejus adimpletio involvat aliquod peccatum, etiam veniale. num. 67. Quamvis jura-

mentum impediatur majus bonum, & sit contra consilia, si in ejus commodum & utilitatem cedat, cui factum est, servari debet: quemadmodum etiam sponsalia jurata obligant, licet vitam cellibem impediunt. Insuper juramentum servandum est, etiam si ejus emissio illicita fuerit, & lege prohibita; (non tamen irrita, immo etiam si ipsa promissio irrita sit, ipso jure, dummodo tamen juramentum supra illam cadens, non irritetur, & res ipsa jurata licita sit, & sine peccato adimpleri possit, juramentum obligat, & observari debet. Hinc sequitur, promittentem meretrici mercedem sub juramento, vel usuras feneratori, ad solvendum teneri ex vi juramenti. Sequitur etiam, juramentum, per metum extortum obligare; & ideo qui metu coactus a latrone illi pecunias sub juramento promittit, illas solvere tenetur; sed potest eas repetere. num. 69. Concubinari promissio jurata facta complici de non peccando cum alia persona, cum impleri possit absque peccato, ex vi juramenti obligat. Promissio prodiga jurata, si res partibilis est, obligat quoad quantitatem convenientis largitionis, non vero quoad excessum; si vero res promissa indivisibilis est, ad nihil tenetur. Juste detentus in carcere, vel etiam damnatus ad mortem, si juravit redire ad carcerem, in quo detinebatur, etiam si periculum mortis imminet, redire tenetur, & juramentum implere. Si vero detentus, aut damnatus iniusta sit, sive a parte rei, sive secundum allegata, & probata, redire licite potest; immo in probabiliori sententia redire tenetur, nisi juramentum relaxationem obtineat, aut minime cum juravit, mortis damnationem prævident, aut cum limitatione mente concepta, vel amphibolice præstiterit juramentum. n. 71. 72. 73.

8. Juramentum de servandis statutis Reipublicæ, Collegii, Universitatis &c. intelligitur de jam editis, non de edendis. Item intelligitur de observandis illis sub mortali, vel veniali, vel ad penam, aut ex consilio prout ipsa statuta

secundum se obligant præciso juramento; ideoque ad ea non obligabit, si sint illicita, impossibilia, communiter non recepta, non in usu, aut abrogata, aut a majore parte non observata. Si aliquod statutum quoad aliquam partem tantum obliget, & sit in vigore; quoad eam tantum obligat etiam juramentum; nisi jurans his non obstantibus, se ad veniale, vel mortale obligare voluerit. Juramentum Scribarum, aliorumque publicorum Ministrorum de servanda taxa non obligat, si vere stipendium sit insufficienti. Alii publici Ministri, ut Senatores, Decuriones &c. qui sui officii initio jurant se bono publico prospecturos, non tenentur ex vi hujus juramenti publica peccata denunciare, inquirere, avertere, sed tantum bono publico prospicere tenentur quoad politicum Urbis regimen. Tract. 17. cap. 2. num. 83. Juramentum de secreto servando circa ea que in Congregatione tractantur, obligat graviter, vel leviter pro qualitate materie. num. 88. Juramentum Medicorum de observando Decreto Pii V. non obligat ubi non est in usu ejus observantia. Tenetur tamen Medicus lege Charitatis sub mortali, quando adest probabile periculum mortis, perire, vel per alios monere infirmum, ut Sacramenta recipiat, & de rebus suis disponat. n. 89.

9. Votum, seu juramentum Deo factum de non ludendo ludo periculoso, immoderato, vel in immoderata quantitate, certum est obligare. Votum seu juramentum de non ludendo quocumque ludo etiam honesto, & honestæ recreationis gratia, si emissum sit ob finem altioris virtutis v. gr. ad liberius Deo vacandum &c. validum est, & obligatorium: sed absque tali fine irritum est. Votum, seu juramentum Deo factum de non ludendo, absolute, & indeterminate, emissum, valet quidem, sed tantum obligat quoad ludum non honestum, vel immoderatum. Eius altioris virtutis non censetur adfuisse, nisi de eo clare constet. Tract. 17. cap. 2. num. 93. &c. Gravitas, vel levitas materie

in juramento non ludendi, ex jurantis; seu votantis sine colligenda est. Qui juravit non ludere, ludo assistere potest, non vero nomine alterius ludere. Votum, vel juramentum non ludendi tali ludo, vel cum tali persona ex fine honesto, ac virtuosum emissum obligat; secus si tali fine careat. n. 100.

10. Juramentum, vel votum dupliciter alteri juramento, vel voto contrariari potest; scilicet vel in actu jurandi seu votandi, ut si quis juret se nunquam juraturum, vel non nisi cum tali circumstantia juret. Vel in ipsa materia; ut cum quis vovit, aut juravit ducere talem puellam, & postea juravit ducere aliam. Si primo modo contrarietur, obligatum votum, aut juramentum obligat, supposito quod res promissa licita sit. Si secundo modo contrarietur, secundum juramentum, seu votum nullum erit, si dum emissum fuit secundum, adhuc primum erat in suo vigore; licet postea obligare desierit. Tract. 17. cap. 2. num. 101. Juramentum aliud est passive dolosum, aliud active. Passive dolosum est, cum dolus se tenet ex parte extorquentis ab alio juramentum: active vero, cum dolus se tenet ex parte jurantis, cum scilicet jurat absque animo jurandi, vel absque animo se obligandi, aut adimplendi, vel verbis æquivocis, aut amphibolicis, & non in eo sensu quo requiritur. num. 104. Probabilius est, juramentum metu gravi incusso extortum, validum esse, nisi ipso jure irriteretur. Ipse tamen metu incutiens nullum jus acquirit, & sic potest perire relaxatio, vel repeti datum; At juramentum dolo extortum invalidum est. Tract. 14. cap. 1. num. 60. 61.

11. Juramentum, vel votum emissum sine animo jurandi, vel votandi nullum est: emissum vero sine animo adimplendi validum est. Vovens seu jurans cum animo quidem promittendi, & adimplendi sed non se obligandi; si dum vovet, aut jurat non recorderetur de obligatione voto, seu juramento annexa, vi voti seu

seu juramenti remanet obligatus; si autem positive putet non esse ullam obligationem annexam, ab ea erit immunis, nec tale votum aut juramentum subsistit. Vovens, aut jurans cum animo promittendi, & adimplendi, & sciens obligationem annexam, illam tamen positive excludens nolit manere obligatus, nullum efficit votum, vel juramentum. Vovens, vel jurans absque animo adimplendi peccat mortaliter, vel venialiter pro qualitate materiæ. Vovens, aut jurans absque animo se obligandi, si ex errore procedat, nullum committit peccatum: si vero sciat esse obligationem annexam, regulariter committit peccatum veniale: in Professione tamen Religiosa, & Ordinibus sacris peccaret mortaliter. Tract. 17. cap. 2. num. 104. cap. 1. num. 19. &c.

12. Amphibologia quid sit, & an amphibologice jurare liceat, vide Tract. 8. num. 8. &c. Consuetudo præteritis frequentatis collectivè sumptis, vel formaliter pro ipso termino, seu effectu habitualiter permanente, ex eorumdem actuum frequentia causata. Consuetudo proxima in hoc differt ab occasione proxima, quod hujus periculum est ab extrinseco, illius vero periculum ab intrinseco habitu. Consuetudo, pro habitu vitioso sumpta, est quedam facilitas, & pondus in voluntate existens causata ex frequenter repetitis actibus vitiosis, inclinans hominem ad actus ejusdem rationis, & ad eos frequentandos inducens. Tract. 17. cap. 2. num. 149. Consuetudo jurandi multiplex esse potest: nam vel efficit consuetudo jurandi falsum: vel jurandi sine advertentia an verum vel falsum juretur: vel jurandi absque necessitate, sed cum advertentia, ut verum semper juretur; quod quidem esse potest vel in homine mendacis aliàs asseruo, vel in non asseruo mentiri: vel denique est consuetudo jurandi sed sine advertentia, an verba quæ proferuntur sint juramentum, vel non. num. 150. Dicitur homo esse in statu peccati mor-

talis; nempe & cum actualiter peccat, & cum permanet in peccato commisso, & dicitur esse in peccato habituali: & cum est in proxima, & immediata occasione peccandi; quæ nihil aliud est quam peccatum actuale omissionis; quo peccat qui advertens ad obligationem eam removendi, illam tollere non curat. num. 150. 151. 153. 154. 155. 156.

13. Igitur ponere, vel retinere occasionem vel periculum proximum, aut consuetudinem peccandi est actuale peccatum distinctum ab eo, per quod talis consuetudo inducitur, vel conservatur. Ponit autem consuetudinem, vel occasionem qui periculo illius prævisio pergit frequentando actus, quibus in ea se constituit; & inde facile in talia peccata ruit: Culpabiliter autem retinet, & conservat talem consuetudinem qui ejus damnum advertens, illam extirpare negligit. Tract. 17. cap. 2. num. 152. Consuetudo passim; vel frequenter jurandi, sed cum advertentia ut non falsum juretur, non constituit hominem in statu peccati mortalis; nec adest obligatio sub mortali illam extirpandi. Idem dicendum de consuetudine passim jurandi cum advertentia, ut verum juretur, conjuncta cum consuetudine mentiri absque juramento. num. 153. 154. Qui pravam consuetudinem habet jurandi falsum; vel jurandi sine cautela an sit verum; vel falsum quod juretur; vel mentiendi non curando an firmiter, vel non juramento mendacium, esse in statu peccati mortalis; & toties peccat mortaliter, quoties advertit ad illam pravam consuetudinem, & periculum pejerandi, & eam extirpare non curat. Redditur autem involuntaria talis consuetudo, & interruptitur per efficacem dolorem de præteritis, & firmum emendationis propositum, auferendo simul externas pejerandi occasiones. Qui distam habet pravam consuetudinem, ea non obstante, si aliquando advertat se juste, & cum veritate jurare; licet absque causa, aut judicio discretionis juretur, non peccat mortaliter. num. 155.

14. Id quod in præsentibus dicitur de con-

consuetudine pejerandi intelligendum est etiam de consuetudine blasphemandi, &c. Sive juramenta inconsiderata proveniant ex consuetudine passim jurandi falsum, sive ex consuetudine jurandi, absque debita veritatis indagazione; si talis consuetudo interruptur per efficacem dolorem, & per propositum emendationis, juramenta ex illa indeliberate posita provenientia non sunt peccata mortalia; quia jam non sunt voluntaria nec in se, nec in sua causa. Tract. 17. cap. 2. num. 156. Juramenta indeliberata si non proveniant ex prava consuetudine, tamquam ex causa, sed aut ex ira repentino impetu, vel alia passione, aut mera naturali oblivione, adhuc mortalia non sunt; nam nec ista sunt voluntaria in causa. Verum qui assuetus est jurare falsum, aut sine debita veritatis indagazione, cum jurat semper præsumitur jurare ex consuetudine tamquam causa, nisi de opposito constet. num. 157. Juramenta indeliberata provenientia ex prava consuetudine non retractata jurandi, tamquam ex causa, si ita indeliberata sunt, ut procedant ex inadvertentia, qua homo omnino absorptus, & abstractus, nec advertit an juret, vel non: an proferat verba juratoria, vel alia, ( præcise scandalo, aut alio extrinseco nocumtento) nec in se, nec in sua causa, scilicet in consuetudine sunt peccamina. At si ita sunt indeliberata, ut advertat quidem homo se jurare, distractus tamen, vel absorptus non advertat ad malitiam juramenti, an sit negligens in indaganda veritate, nempe an verum vel falsum juret, nec in sua causa, sed & in se peccamina sunt. n. 161.

15. Quando consuetudo est novum peccatum distinctum ab ipso peccato perjurii, blasphemæ, pollutionis &c. quale diximus esse ipsam ponere consuetudinem, vel eam retinere: non solum ipsa peccata ex consuetudine commissa, sed etiam ipsam consuetudinem prænitens fatetur tenetur. Confessario interroganti tenetur prænitens aperire consuetudinem peccati. Tract.

17. cap. 2. n. 163. 165. Habens consuetudinem pejerandi, blasphemandi &c., si in aliis confessionibus admonitus non fuit, illi deneganda non est absolutio: si probabiliter credatur cum vero dolore accedere. Sic nec illi, qui jam admonitus aliquam adhibuit curam, & diligentiam pro consuetudine extirpanda. num. 167. Probabilis est, ei, qui sæpius admonitus in eodem semper statu permanet, nihil ex parte sua cura apponendo, ut ad meliorem frugem redeat, non solum ex consilio posse Confessarium differre absolutionem, sed ad id teneri; Quinimmo si emendationis spes nulla appareat, non solum differre absolutionem, sed & eam negare oportet, etiam si ore dicat se dolere, & emendari velle. num. 170. Numquam a penitente juramentum de emendatione petendum est, nisi in casibus a jure expressis.

## CAPUT II.

## De Voto.

## §. I.

Quid; & quotuplex sit votum; & de ejus materia.

16. **V**otum est promissio spontanea, & deliberata facta Deo de re meliori. Tract. 17. cap. 1. num. 6. Votum absque verbis, aut signis fieri potest. Essentialiter, & in recto consistit in actu intellectus practici. num. 7. 8. Ad votum requiritur plena, & perfecta deliberatio, & libertas sufficiens ad constituendum actum perfecte humanum, & simpliciter liberum, seu sufficiens ad peccandum mortaliter. Hæc plena, & perfecta deliberatio etiam in momento haberi potest. Idem dicendum de juramento. Ebrii, amentes, dormientes, & ulu rationis carentes non sunt voti, aut juramenti capaces. num. 9. Ut votum prudenter fiat, debet cum ma-

matura deliberatione, & consideratione emitti. Vota repentina valida quidem sunt, (nisi metus, aut passio totaliter absorberit rationem,) iustam tamen habent causam, ut dispensari possint. Quod post votum statim poeniteat, non est sufficiens signum, non fuisse plene liberum, ac deliberatum, ac proinde esse invalidum. num. 11. 12. Votum imprudenter emittitur est peccatum veniale. Etiam ad votum obligans sub veniali, requiritur plena, & perfecta deliberatio. Qui precipitanter vovet, per hoc quod se exponit periculo illicita, vel impossibilia vovendi, mortaliter peccat. num. 13. Simplex propositum frangere, ex se nulla culpa est. Nullum propositum quantumvis efficaciter, nisi promissione Deo facta firmetur, habet vim voti. num. 16. De intentione, seu proposito voluntatis requiritur ad vovendum vide supra. num. 11. Omne votum fit soli Deo. Votum quod fit alicui Sancto, vel Prælati absolute, est verum votum, quia implicite fit ipsi Deo, qui in eis respiciet. num. 28.

17. Validum, licitum, & laudabile est votum, aut iuramentum de re alias præcepta per legem; & qui illud frangit duplex peccatum committit. Propriissima materia voti est opus supererogationis. Tract. 17. cap. 1. num. 32. 34. Votum de re opposita consiliis Evangelicis absolute sumptis, v. gr. votum non jejnandi, votum nubendi, &c. nullum est. Res quæ absolute sumpta erat opposita consiliis, circumstantiata potest non opponi, & esse melior, & tunc de ea validum erit votum. Invalidum est votum de decenda in matrimonium meretricæ ad eam liberandam a periculis animæ; quia voventi melius est certorem suam reddere salutem in cælibatu, vel Religione, quam alienam procurare, mediis, ad quæ non tenetur. Validum tamen erit tale votum emissum sub conditione quod velit nubere. Validum erit votum de contrahendo Matrimonio in homine fragili & sæpe labenti; si consideretur ut persona particularis: quia ex supposito-

ne quod nolit, vel non possit uti aliis remediis; melius est illi nubere quam uri. Validum est etiam in homine fragili, & sæpe labenti votum castitatis vel Religionis, si consideretur ut est pars, & membrum Ecclesiæ; quia ei ut tali, ac attento bono communi, melius est quod teneat tale votum; & tunc ad castitatem tuendam tenebitur uti aliis remediis. num. 37. 39. 41. 44. Votum non vovendi absolute emissum, validum non est; validum tamen erit, si aliqua circumstantia vestiat, in ordine ad prudenter vovendum; ut votum non vovendi nisi in scriptis, vel de consilio Confessarii. At non obstante hoc voto, validum erit subsequens votum nisi tali circumstantia emissum: & si hæc circumstantia omnibus inspectis fit parvi momenti, ejus omisio erit tantum veniale peccatum. Si in priori voto habuit etiam animum, & intentionem expressam non se obligandi nisi vovendo cum tali circumstantia, tunc votum sine illa emissum invalidum erit. n. 46. 47.

18. Votum absolute emissum de non petendo irritationem, dispensationem, vel commutationem probabilius esse validum; ac non obligat in casu, quo utilis sit animæ eam petere. Votum autem non petendi irritationem &c. sine legitima causa proculdubio validum est. Tract. 17. cap. 1. num. 43. Qui vovit non petere dispensationem, & non uti concessa; prius ultimi dispensationem petere debet, deinde prius, de quo voverat non petere dispensationem. Qui vovit non petere irritationem, potest petere dispensationem, aut commutationem, vel e contra. num. 51. 52. Votum non ingrediendi nisi hanc Religionem; non recitandi nisi flexis genibus, & similia valida sunt; melius est enim hanc ingredi quam nullam; possunt tamen similia vota auctoritate propria commutari in absoluta; quia absoluta obligatio etiam minoris boni, melior est conditionata etiam boni majoris proportionem servata. num. 54. Votum de re quæ omnibus inspectis est inoffe-

se.

ferens invalidum est. Indifferentia autem, vel inutilia vovere, præcisa alia circumstantia, non excedit peccatum veniale: immo aliquando omni culpa vacat, ut quando simplices putantes se votum finem obtinendum, vel in gratiarum actionem pro eo obtento. Ut si quis dicat: Voveo tot Missas si Petrum occidero, &c. n. 66. 69.

19. Votum de re aliis indifferenti, sed quæ ex aliqua circumstantia, bona fit, & conducens ad finem virtutis, validum est. Cessante autem illa circumstantia corrumpit obligatio. Ut si quis vovit non ingredi illam domum, quia ibi habitat mulier periculosa: ea alibi habitante, cessat obligatio non ingrediendi. n. 56.

20. Votum de re prava invalidum est. Tract. 17. cap. 1. num. 59. Votum non peccandi nisi cum tali forma, si includat voluntatem peccandi cum illa invalidum omnino est: sed si tale votum importet simpliciter obligationem non peccandi cum aliis, præciscendo ab obligatione non peccandi cum illa, vel quia timet se multiplicaturum sacralia propter singularem proclivitatem ad illam; vel quia respectu illius credit se non indigere voto ad abstinendum; in tali casu validum erit. Validum est votum jejnandi diebus Dominicis; si quis autem voveret jejnare in vigilia alicujus Sancti, & festum incidere in die ferie secundæ, melius esset die sabbati jejnare. num. 63. 64. Invalidum est votum de re bona ob malum finem: sive talis finis sit primarius, & motivus, sive impulsivus; sive secundarius: sive finis sit mortaliter malus, sive venialiter, aut vanus, aut indifferens, aut impossibilis; sive vovens ordinet opus bonum promissum ad consequendum talem finem a Deo; sive ad gratias agendum pro hujusmodi finis consecutione. Validum vero erit votum, si malus finis sit finis solius emissionis voti, seu per ipsam voti emissionem intentus; ita quod non res promissa, sed ipsa voti emissio ordinetur ad primum finem: Ut si quis publice voveret elemosinam, ut ex hac voti emissionem consequeretur inanem gloriam. Validum etiam erit votum cui adiungitur

prava finis, per modum tantum pure conditionis, qua posita conflagrat res bonæ obligatio, absque eo quod res promissa ullo modo ordinetur ad illam, pravam finem obtinendum, vel in gratiarum actionem pro eo obtento. Ut si quis dicat: Voveo tot Missas si Petrum occidero, &c. n. 66. 69.

21. Votum de re impossibili est nullum, Votum de re impossibili, & alia possibili: de re mala, & alia bona: vel de re indifferenti, & alia bona per modum unius, ita quod ad utrumque obliget, nullum est. Si tale votum absolute

solute emissum sit, & non constet de intentione votentis; si est de materia communiter divisibili, vel de actibus separabilibus, tenet votum quoad materiam aptam. Si in materia voti accessorium sit impossibile, malum, vel indifferens; principale vero bonum, & possibile, tenet votum quoad hanc partem: si e contra, invalidum est votum. Si accessorii impossibilitas reddat difficiliorem rem principalem, corrumpit obligatio voti; ut si vovisti ire Romam equitando, & deficiat modus equitandi; non teneris ire pedester. Si e contra vovisti ire nudis pedibus, & non potes sic ire, teneris ire eo faciliore modo quo potes. Tract. 17. cap. 1. num. 73. &c. Votum de vitandis omnibus venialibus, sive collectivè sive divisivè, etiam de iis tantum quæ ex plena deliberatione committuntur, invalidum est. Validum vero est votum de vitandis venialibus deliberatis in aliqua materia tantum, & pro viris perfectis. Votum de vitandis mortalibus, & venialibus collectivè invalidum est. Similiter invalidum est votum de vitandis mortalibus, vel venialibus divisivè, scilicet non determinando ad quid velit obligari. Votum de vitandis omnibus mortalibus validum est; sed timoratissimis tantum permittendum. nu. 78.

22. Votum dividitur in mentale, & vocale; affirmativum, & negativum; absolutum, & conditionatum; pure conditionatum, & pœnale: reale, personale, & mixtum; temporale, & perpetuum; expressum & formale, & tacitum sive virtuale; reservatum, & non reservatum; solemne, & simplex. Votum mentale est quod sola mente fit, vel quod est de solo actu interno eliciendo; vocale quod per verba perficitur. Votum de solis actibus externis vitandis, excludendo omnes internos, invalidum est; validum vero erit si non excludantur ii actus interni, qui sunt inseparabiliter connexi cum externis: Quapropter votum de non fornicando debet necessariò extendi etiam ad desiderium,

& complacentiam, seu delectationem morosam de fornicatione. nu. 87. Affirmativum est de actu eliciendo; negativum est de actu vitando. Absolutum est quod nulla afficitur conditione; conditionatum est, cujus obligatio a posita conditione dependet. Condicio generalis v. gr. si vixero, si potero, si Deus voluerit, & similes non faciunt votum conditionatum. Particula; si, suspensiva executionis usque ad tempus opportunum, ut: si Pater obierit: si 20. annum attigero: si studiorum curriculum consummavero, &c. non faciunt votum conditionatum, nam ponitur pro Quando. Conditionatum pure tale est, cui nulla apponitur pœna; conditionatum pœnale est, quando quis pœnam subire vovet purificata conditione, ut: voveo jejunium, flagellationem, &c. si juravero, si mentiar, &c. Tract. 17. cap. 1. n. 87. 88. 89.

23. Votum reale est, quo votetur res externa ab hominis actione distincta; personale, quo promittitur actus attinens ad personam v. gr. jejunium, recitatio, &c.; mixtum quod ex utroque coalescit, ut votum eundi Compostellam, & ibi elemosinam erogandi. Temporale votum est quod ad tempus durat; perpetuum, quod non est ad determinatum tempus. Potest autem votum esse perpetuum, vel ex parte materie, quia de opere in perpetuum duraturo, ut votum fundandi Hospitalis, &c. vel ex parte actus, tractum usque ad mortem duraturi, ut votum jejunandi quotidie, vel singulis 6. feriis, &c. Insuper aliud est votum perpetuum per se, quod scilicet absolute emissum censetur esse perpetuum, ut votum castitatis; aliud per accidens, quod absolute emissum non censetur perpetuum, nisi id constet ex intentione votentis, aut ex circumstantiis, ut votum elemosinæ, jejunii, &c. Tract. 17. cap. 1. nu. 89, 90. Votum reservatum est circa quod, non est immediatè Prælati concessa facultas; non reservatum est ad quod se extendit eorum facultas, Expressum, & formale est quod explicite, & formali-

maliter emittitur; tacitum, & virtuale, quod per id, cui est annexum censetur emitti, ut votum castitatis in susceptione Ordinis Sacri, Solemne votum est quod emittitur in Professione Religiosa, vel Sacri Ordinis susceptione; simplex est quodcumque aliud. num. 91. 92.

## §. II.

## De obligatione quam votum inducit.

24. Votum ex se, & ex natura sua obligationem in conscientia inducere, de Fide est: & hæc obligatio est sub mortali. Tract. 17. cap. 1. num. 93. Melius est, & magis meritorium facere aliquod opus cum voto, quam sine voto; ideoque per se utile est, expediens, & consulendum. num. 95. 96. Transgressio voti est contra primum Decalogi præceptum. num. 100. Omnes transgressiones votorum sunt ejusdem speciei, etiam si votens intendat se obligare non solum ex motivo Religionis, sed etiam ex motivo illius virtutis, cujus actum promittit: dummodo materia voti non sit aliàs præcepta. num. 101. 103. Licet fractio voti sit ex genere suo peccatum mortale, potest tamen esse veniale ex imperfecta deliberatione, & ex parvitate materie. Illa erit materia gravis in voto, quæ respectu legis, aut præcepti est gravis; & quæ omnibus inspectis, graviter in Deum cultum credit; sive esset, sive non esset ante votum prohibita, vel præcepta: levis vero quæ respectu legis, vel præcepti esset levis; aut quæ omnibus inspectis, leviter credit in cultum Dei. n. 105. Si materia, omnibus inspectis, sit levis, non poterit votens se ad illam sub gravi obligare, quantumvis hoc intendat. n. 106.

25. Probabilius est posse votentem rem gravem obligare se solum sub veniali. Tract. 17. cap. 1. num. 109. Votum in re levi frangere, etiam si res illa levis sit tota materia voti, non est peccatum mortale. num. 113. Idem dendum de juramenti promissori non

adimpletione. num. 114. Hinc votum vitandi aliquod peccatum solum obligat juxta gravitatem illius; nisi talis vitatio, omnibus inspectis, censetur gravis momenti. Qui vovit recitare quotidie unum Credo, & per annum omitit, solum venialiter quotidie peccat, si illa modica recitatio promissa sit in honorem diei. (quod semper supponendum est, nisi de intentione votentis aliud constet.) Quod si dies assignatus sit, non ut terminus obligationis, sed ne ultra recitatio differat, tunc si perveniatur ad materiam gravem, erit peccatum mortale, num. 115. Obligatio voti, aut juramenti, sive personalis sit sive realis, solum tangit personam quæ illud emisit, non vero alios, nisi prout infra dicitur. 116.

26. Parentum vota, aut juramenta filios non obligant, nisi cum rationis usum nacti fuerint, in illa consentiant, eaque ratificent. Tract. 17. cap. 1. nu. 118. Vota aut juramenta emissæ per procuratorem obligant mandantem, ac si per ipsum emissæ fuissent. num. 119. Vota & juramenta Populi obligant successores. num. 120. Vota personalia, & etiam mixta quoad illam partem quæ personalia sunt, solum a votente per se ipsum possunt impleri; unde si ipse impotens sit, non tenetur implere per alium, etiam si propria culpa factus sit impotens; nec tenetur petere commutationem. Hinc sequitur, non teneri hæredem ad vota personalia defuncti, quia personalis obligatio extinguitur cum persona: nisi sua sponte hæres acceptet obligationem. Potest tamen Testator hæredem non necessariam instituire, sub conditione quod adimpleat personale votum; qui, si cum illo onere acceptet hæreditatem, tenebitur ad illius adimpletionem: hæredem autem necessariam tali onere gravare non potest. n. 121.

27. Vota, & juramenta realia, & etiam mixta quoad eam partem, qua realia sunt possunt per alium impleri. In hoc etiam differunt votum reale a personali, quod votum personale potest quidem per procuratorem emitti, non ta-

men impleri: reale vero potest per procuratorem, & emitti, & impleri. Verum qui v.g. vovit calicem Ecclesiæ, si sit impotens ad præstandum, non tenetur procurare quod amici illud donent, aut ad hoc petere elemosinam; quia ad hoc non se obligavit. Tract. 17. cap. 1. num. 122. Hæres five necessarius, five voluntarius tenetur ad vota, & juramenta realia defuncti; nec ab hac obligatione potest illum testator eximere, si votum factum sit absque temporis limitatione; quia si votum esset ad vitam testatoris, non transfret ad hæredem. Præsumendum est autem esse ad vitam, quando testator declarat hæredem liberum ab obligatione votorum. 123. Solum obligatur hæres ad vota realia testatoris, quando velit acceptare hæreditatem; quod si illam recuset, ad nihil tenetur. Quod si vires hæreditatis non sufficiant ad votorum debita solvenda, non tenebitur ad ea solvenda supra vires hæreditatis, five fecerit inventarium five non, saltem in foro conscientiæ: lex enim præcipiens hæredi, qui non fecit inventarium, ut solvat debita etiam supra vires, fundatur in præsumptione fraudis. n. 124.

28. Vota præferenda sunt omnibus legatis etiam piis: debita vero, ex justitia præferenda sunt votis: at expensæ pro funere præferri debent etiam omnibus debitis ex justitia. Quando plures sunt hæredes, nullus eorum tenetur in solidum vota defuncti adimplere, nisi res promissa sit in sua specie apud unum ex ipsis; sed quilibet tenetur solum pro rata juxta portionem hæreditatis. Tract. 17. cap. 1. num. 125. Obligatio solvendi vota, vel juramenta realia defuncti debet relinquere salvam legitimam hæreditatis descendendum, vel ascendendum, num. 127. Si tempus a vovente assignatum non fuit pro executione voti, tenetur illud implere statim ac commodè potest. nu. 128. Si tempus assignatum fuit pro termino obligationis, in quo scilicet obligatio finiatur; (quod ex particulari devotione aut utilitate eo die occurrente, aut ex na-

tura rei promissæ venandum est,) si tempore præfixo five licite, five illicitè votum profectum non impletur, tempore transacto non amplius illud implere tenetur vovens: bene vero si tempus non fuit assignatum ut terminus obligationis, sed ne voti adimpletio ultra differatur; & in tali casu non solum peccat tempore præfixo omitteus, sed etiam tenetur adhuc quamprimum implere, five votum sit reale, five personale. num. 129. 130. 131. In dubio an tempus assignatum sit pro termino obligationis, vel ad non differendam executionem, communis sententia tenet, non impletem tempore præfixo, teneri adhuc quamprimum implere. n. 132.

29. Vorum, aut juramentum vel est indeterminatum quoad tempus, ut si vovisti jejuniun, non determinando quot dies: vel quoad quantitatem, ut si vovisti elemosinam, non determinando quantum: vel quoad qualitatem, ut qui vovit calicem, & non determinavit an aureum, vel argenteum. Votum, aut juramentum indeterminatum determinandum est juxta voventis intentionem, si de ea constet: aliter secundum exigentiam materiæ, & ad instar aliarum legum quæ de tali materia dantur. Quod si, omnibus impeditis, adhuc dubitetur de intentione, benigne interpretandum est, servata tamen verborum proprietate, juxta communem acceptionem. Tract. 17. cap. 1. num. 133. 134. Qui vovit audire Sacrum, illud audire tenetur ea integritate, & attentione, quæ sufficiat ad satisfaciendam præcepto. Verum qui vovit audire Sacrum quotidie, diebus festis unico Sacro satisfaciit & voto, & præcepto; secus si votum; aut juncta poenitentia esset de uno, vel altero Sacro audiendo: nu. 135. Qui vovit Rosarium, tenetur illud recitare non secus ac divinum Officium: satisfaciit autem etiam tertiam partem recitando; quia hoc communiter nomine Rosarii intelligitur: & satisfaciit etiam recitando cum socio. num. 136. Qui vovit jejuniun, illud observare tenetur sicut alia jejunia de præcepto, & secundum

Ec-

Ecclesiæ consuetudinem: ideoque qui vovit quotidie jejuniun, diebus Dominicis jejunare non tenetur. Qui vovit jejuniun in vigilia alicujus Sancti, si hæc occurrat in Dominica, poterit Sabbato jejunare. Qui fregit jejuniun votivum per carnium esum, non tenetur amplius illa die ad jejunii observantiam, nec ad abstinentiam a carnibus; nam abstinentia a carnibus in jejuniun votivo se habet ut quid accessorium; corruente autem principali corruit etiam accessorium; secus autem dicendum, cum quis ad abstinentiam a carnibus, distincto præcepto, illam directe præcipiente tenetur. Qui vovit jejuniun v.g. singulis 6. feriis, si tali die occurrat festum Nativitatis Domini probabilis est teneri ad jejuniun. n. 137. 139.

30. Si votum sit indeterminatum quoad tempus, ut votum castitatis: jejunandi singulis 6. feriis, recitandi quotidie Rosarium, &c. obligat pro semper; nisi ex circumstantiis cognoscatur voluisse voventem se tantum pro aliquo certo tempore obligare. Votum indeterminatum quoad quantitatem, vel qualitatem obligat tantum quoad minimum sub re promissa contentam, quæ tamen utilis, & apta sit, attenda consuetudine, & qualitate rei promissæ. Ideo si vovisti elemosinam, sufficit minima: si vovisti calicem sufficit argenteus, non autem plumbeus, quia ineptus est facrificio. Tract. 17. cap. 1. num. 140. Si votum fuit indeterminatum in individuo, erit in libertate voventis determinare rem præstandam. Si vovit disjunctive unam de duabus rebus, & una ex iis sit inutilis, vel prava, vel impossibilis; altera vero bona, utilis, & possibilis, nullum est votum: si vero utraque sit apta materia voti, & unam determinavit, illam tenetur reddere, etiam si post determinationem alia perierit. Quod si una ex iis antequam se determinet pereat, dummodo non fuerit in mora culpabili se determinandi, nec ejus culpa perierit, non tenetur alteram reddere. num. 141. 142.

31. Qui dubitat an votum emiserit,

non tenetur ad illud, etiam si magis inclinetur pro voto propter rationes fortiores, dummodo istæ rationes adhuc rem dubiam relinquant. Idem dicendum de eo qui scit se protulisse verba juratoria dubia, & dubitat an ea sensu juratorio protulerit; possessio enim utrobique stat pro libertate. Tract. 17. cap. 1. num. 143. 144. Certus de voto vel juramento, & dubitans an impleverit, adimplere tenetur; nisi probabiliter judicet se implevisse. Si votum sit conditionale, & dubitetur an conditio purificata sit, vel non, possessio stat pro libertate. Si vero certus de voto dubitet an res ita mutata sint quod excusetur ab adimplente, possessio stat pro voto. num. 145. Si dubites an v. gr. centum, vel quinquaginta promiseris: an strictiorem, vel laxiorem Religionem: sufficit si 50. perfolvas: si laxiorem Religionem ingrediaris. Si certus de voto dubitet, an cum animo se obligandi illud emiserit: an cum plena advertentia: an metu coactus: an metus fuerit cadens in virum constansem; possessio stat pro voto. Si vero dubitet an materia sit honesta, possibilis, &c. possessio stat pro libertate. n. 147.

32. Votum, aut juramentum interpretandum est secundum intentionem promittentis; quod si de ea non constat, interpretandum est in benigniorem partem, quantum fieri potest, & quantum verba in proprietate sumpta, & secundum communem acceptionem permittunt. Tract. 17. cap. 1. nu. 148. Votum, aut juramentum restringendum est juxta naturam actus, aut contractus, supra quem cadit; ita ut omnes restrictiones, conditiones, limitationes, &c. quas res promissa habet ex jure, lege, vel consuetudine recepta, omnes illas habeat etiam votum, aut juramentum illi adherens. Juravit Cajus dare Titio equum: Titius non servat quod Cajo promisit; nec Cajus pariter tenetur dare equum. Juravit quis fidelitatem alci, & non esse illi contrarium; subintelligitur: nisi jus suum, vel Ecclesiæ, vel suorum petere, aut defen-

defendere opus sit. Ita expresse cap. Petiit. De iurejurando. Iurasti parere mandatis Ecclesiæ, vel Jadicis, & stare sententiæ; subintelligitur: nisi iniuste gravatus fuero: non enim hoc iuramentum excludit rationabilem appellationem. num. 149. 150. Iuramentum, aut votum obligat rebus in eodem statu permanentibus; secus si fuerint notabiliter mutata: censetur autem notabilis mutatio rerum superveniens, quando talis est, quod si fuisset ab initio cognita, jurans aut vovens non promississet. num. 152. Si iuramentum, aut votum cedat in alterius præjudicium, restringendum est, ut alteri damnum non inferat, aut præjudicet. num. 154.

33. Error circa substantiam voti, aut juramenti illud nullum reddit: ideo si profitemur putabat Professionem non obligare, vel non obligare in perpetuum, nulla erit talis Professio, nisi ignorans obligationem, & naturam illius, intendat voto se obligare sicut alii, & in quantum potest; quia tunc virtualiter censetur velle omne id quod est de substantia voti. Idem dicendum, si error, vel ignorantia sit circa objectum voti, seu substantiam rei promissæ: ut si voveret quis peregrinationem Hierosolymitanam, putans Hierosolimam prope esse, cum longe distet: Si voveret ingredi Religionem Carthusianam, putans in ea licere caribus vesci: nullum erit tale votum. Tract. 17. cap. 1. num. 155. Ignorantia circumstantiarum, quæ in substantiam objecti non redundant, non vitiat votum, aut iuramentum; sed horum obligationem quantum ad substantiam relinquunt; etiam si persona quando vovit si hæc previdisset, non vovisset; est enim talis ignorantia concomitans, sed non dans causam voto. Quare qui vovit dare elemosinam pauperi, quem putabat justum, vel amicum, & non est, tenetur dare. num. 156. Si error sit circa finem, impedit valorem voti; at si fuerit circa causam impulsivam, aut occasionem voti, illius valorem, & obligationem non tollit. Quare si vovens elemosinam, vel aliud o-

pus pium ad obtinendam salutem filio; quem putas infirmum, & est sanus, voto non teneris. At si vovisti dare elemosinam pauperi quem probum credebatis; etiam si probus non sit, dare teneris; quia probitas vel improbitas non est causa finalis, sicut sublevatio miseræ, sed tantum impellens, vel retardans. n. 158.

34. Validum est votum, tam jure naturæ quam positivo, etiam si ex metu gravi ab intrinseco fiat. Unde omnia vota emissa metu mortis a naufragio, fera, inimico, infirmitate inferendæ, valida sunt apud omnes. Idem dicimus, si metus gravis sit ab extrinseco iniuste illatus, sed non ad extorquendum votum. Sic pariter si metus gravis sit ab extrinseco illatus, sed non iniuste, ad extorquendum votum. Votum emissum ex gravi metu ab extrinseco iniuste ad extorquendum illud illato, (quomodo adit verus consensus, & animus se obligandi;) jure naturæ validum quidem est; sed est jure Ecclesiastico nullum. Metum levem non excusare ab obligatione voti, nec jure naturæ, nec jure Ecclesiastico omnes concedunt. Tract. 17. cap. 1. n. 161. 162. 164.

35. Condicio potest esse vel de præterito, vel de præterito, vel de futuro; contingens, vel necessaria; honesta; & possibilis; vel prava, aut impossibilis. Condicio de præterito, vel de præterito non facit votum conditionatum, nec eius obligationem suspendit; similiter nec condicio necessaria de futuro. Condicio turpis, vel impossibilis nullum reddit votum. Tract. 17. cap. 1. num. 165. Si votum aut iuramentum emissum fuerit sub conditione de futuro contingenti, & honesta, suspenditur obligatio illius usque ad eventum conditionis, qua purificata, statim votum fit absolutum. Si vovens apponat copulative duplicem conditionem, ut si v. gr. dicat: voveo Religionem si Pater consenserit, & soror nupserit; utraque impleri debet, ut votum obliget; si vero duplicem conditionem disjunctive apponat; ut: si pater consenserit, vel

vel soror nupserit: sufficit unius partis eventus, ut votum ex tunc obliget. Quod si non recordetur an copulative; vel disjunctive apposuerit, credendum est copulative apposuisse, & utramque impleri debere. num. 167. Ut obliget votum conditionatum, debet in sua specifica forma impleri conditio; nec sufficit quod æquivalenter impleatur. v. g. vovisti Religionem si soror nupserit; si moriatur, vel in Religione profiteatur, voto non teneris, quamvis eo sine conditionem apposueris, ne sine subsidio relinquantur; & hoc est probabilius. num. 168. 169.

36. Qui conditionate vovit, si conditionis positio ex voventis duntaxat voluntate dependeat, non tenetur ejus purificationem expectare: Ut si v. g. quis dicat: voveo Religionem, si ad aleas lusero intra hunc annum: potest illo anno, non expectata conditionis purificatione, uxorem ducere. Si vero conditionis positio ab aliena dependeat voluntate; quamdiu moraliter possibilis fuerit talis conditionis positio, expectari debet ejus eventus. Tract. 17. cap. 1. num. 170. Quando conditio dependet ex aliena voluntate, peccat contra votum ipse vovens, si dolo, fraude, vel vi impediatur ejus eventum, animo evadendi obligationem; non vero si solis precibus, vel rationibus dissuadatur. Vovisti Religionem si salutem consequaris; agis contra votum si animo evadendi obligationem, cibis noxiis salutem impedias; secus vero si talibus cibis vescaris ob gulositatem, passionem &c. Vovisti Religionem si literas didiceris: si eas non dicas, ut obligationem effugias, contra votum agis; minime vero si solum ob difficultatem, & laborem non dicas. num. 171. Verum si culpabiliter, si sine culpa impediatur conditionis positio, votum minime obligat. num. 173.

37. Pœnale votum, seu iuramentum illud est, quod quis emittit non ex affectu ad rem quam promittit, sed ad conditionem vitandam; ut timore contrahendæ obligationis ad penam, retra-

hatur a culpa: ut si quis voveat eleemosinam, vel jejuniū &c. si in tale peccatum labatur. Sanctum, pium, & laudabile est tale votum. Votum, seu iuramentum pœnale dividitur in simplex, & duplex. Duplex est, quo quis & promittit non apponere conditionem v. gr. non ludere; & penam subire, si ludat. Simplex est, quo quis se obligat solum ad subeundam penam, posita conditione, v. gr. si ludat. Tract. 17. cap. 1. num. 174. Invincibiliter ignorans penam a se promissam, si in tale peccatum labatur, vel talis penæ invincibiliter oblitus, si cum tali ignorantia, vel oblivione illud peccatum committat; ad penam ex vi voti non tenetur. num. 175. Si quis voto duplici ligatus, v. gr. non ludendi; & si ludat, talem penam subeundi; si ante eventum conditionis; prioris voti relaxationem obtineat, a secundo liber tenetur, & non tenetur ad penam, quia secundum votum est accessorium. num. 176. In voto pœnali simplici, prima vice tantum pena subeunda est. At in voto pœnali duplici, toties quoties subeunda est, nisi pena pro transgressione assignata sit gravissima, ex illis quæ communiter repeti non solent: ut magnæ elemosinæ largitio, peregrinatio, ingressus in Religionem &c. quæ tantum prima vice subeundi intelliguntur, seu pro prima transgressione. n. 177.

38. Omnes habentes usum rationis possunt vota emittere de his quæ sunt in sua potestate, illicque se obligare, nisi a suis Superioribus impediatur. Quare solum excluduntur jure naturæ a votorum emissionem amentes, furiosi, ebrii, dormientes, ob defectum usus rationis, & etiam pueri ante illum; sed post illum possunt valide vota emittere ante pubertatem, quamvis talia vota, quæcumque sint, possint a parentibus irritari. Immo votum solemne Religiosis ante 16. annum emissum, nullum est ex Ecclesiæ dispositione. Vota Religiosorum, filiorum, servorum, uxorum: abique consensu eorum sub quorum sunt potestate emissa in illorum præjudicium, irrita sunt:



sunt: valida vero sunt vota ab eis emissa de rebus, quæ non præjudicant illis, sub quorum sunt potestate, sive sint realia sive personalia, etiam absque eorum consensu emissa; sunt tamen irritabilia pro libito, etiam absque causa, quia censentur valere sub tacita conditione quamdiu Superior non contradixerit. Vota prædictorum de rebus aliis lege divina, vel humana, vel mandato Superioris prohibitis invalida sunt. Quod si solum prohibeantur fieri absque licentia, hæc supposita, vel sub hujus conditione, validum erit votum. Potest Ecclesia aliquas personas reddere inhabiles ad votendum, quod intelligendum est non solum de votis externis, sed etiam de internis sive ex parte actus tantum, sive ex parte actus & materiæ: ut votum internum de elicendo actu Fidei &c. Tract. 17. cap. 1. n. 178. 180.

## CAPUT III.

## De Votorum, &amp; Juramentorum relaxatione.

39. **Q**uinq; modis obligatio voti, seu juramenti cessare potest: irritatione, dispensatione, commutatione, cessatione finis, & notabili rerum mutatione. Probabilis est, omnes qui possunt vota irritare, dispensare, commutare, sive potestate ordinaria, sive delegata virtute Bullæ, aut privilegii, posse etiam similiter irritare, dispensare, & commutare juramenta soli Deo facta. Tract. 17. cap. 3. Præm. & nu. 1. 3. De juramenti homini præstiti, seu in favorem alterius emisit dicimus. 1. Omnes qui habent potestatem dominativam, quos infra numerabimus, posse suorum subditorum juramenta hujusmodi irritare, si sint de materia ipsis subjecta, etiam absque causa, utpote sub hac conditione emissa. Dicimus 2. Esse in Ecclesia facultatem relaxandi juramenta homini præstita, seu quæ in alterius commodum emissa sunt; hoc tamen nec

ipse Summus Pontifex licite aut valide potest, nisi ex gravissima causa; quæ duplex communiter assignatur, videlicet: quæ directe concernit bonum commune; vel quæ respicit poenam delicti commissi, aut iniquæ, vel dolosæ extorsionis ipsius juramenti, ob quod jure sibi debito privari mereaturis, in cujus favorem juramentum emissum erat. Nominè Ecclesiæ, quoad potestatem relaxandi talia juramenta, veniunt Summus Pontifex, Episcopus, & Capitulum Sede vacante, & quilibet jurisdictionem quasi Episcopalem habens: & hoc sive iniquitas exigentis juramentum fe teneat ex parte rei juratæ, quæ non debetur; sive ex parte modi exigendi, v. gr. metu, dolo &c. Qui per Bullam, Jubilæum, aut privilegium habet facultatem dispensandi in votis, potest etiam relaxare juramenta, per quæ nullum jus tertio acquiritur; quia tamquam juramenta soli Deo facta reputantur. num. 6. 8. 9.

40. Juramentum in favorem hominis factum, si principaliter in commodum, & utilitatem illius, cui præstitum fuit, emissum sit, cessat remissione ejus, in cujus commodum factum est. Si inter duos vicissim simile juramentum factum sit, utrumque cessat mutua remissione. At si principaliter emissum fuit in honorem, & cultum Dei, non potest remissione partis cessare, nisi vota materia juramenti in eisdem partis commodum cedat. In dubio de principali fine, & intentione, inspicienda est materia proxima, & quid communitur tali juramento intendatur. Tract. 17. cap. 3. num. 10. &c. Si causa finalis proxima motiva cesset in totum, & pro semper, (nam causa omnino finalis, scilicet honor, & cultus Dei, nunquam cessat;) omnino cessat obligatio voti, aut juramenti, sive Deo, sive homini facti; etiam si finis cesset ob culpam promittentis: etiam si cesset tantum in hoc casu particulari; non enim requiritur quod cesset pro omnibus, ut de lege dictum est, quia votum, seu juramentum est lex particularis. Promissisti v. gr. elec-  
mo.

mosinam Petro ad sublevandam ejus miseriam; evadit dives; cessat obligatio. Promissisti peregrinationem pro salute Patris: moritur; solutus es ab obligatione. Vovisti dotare Bertam, intra mensem: culpabiliter omisisti, & ipsa e lapsio mente moritur; cessat obligatio. Cessante causa solum impulsiva, non cessat obligatio voti aut juramenti. nu. 15. 16. 17. 18.

41. Adveniente notabili mutatione rerum, quæ materiam promissam vel in se, vel in hominum æstimatione notabiliter diversam reddat, cessat obligatio voti, vel juramenti. Ob periculum vitæ, honoris, aut alterius gravis nocuamenti superveniens post emisum votum, aut juramentum, horum obligatio cessat; nisi etiam eo cognito periculo, se voluerit obligare; ut si promitteret te tempore pestis infirmis ministraturum. In dubio de notabili mutatione, possessio stat pro voto, seu juramento. Probabilis est non sufficere quod talis mutatio superveniat, quæ si prævideretur, non emitteretur votum, seu juramentum, nisi materiam notabiliter mutet, aut reddat ineptam, vel nisi talis casus expresse fuerit exceptus a promittente. Tract. 17. cap. 3. num. 19. 20. 22. Quæ deinceps de votorum irritatione, dispensatione, & commutatione dicentur, intelligenda sunt & de juramenti promissoris soli Deo factis, vel etiam in commodum alterius emisit, nullo tamen jure parti acquisito, quia vel per metum, dolum, aut aliam injuriam extortis, vel nondum acceptatis ab eo, in cujus favorem, & commodum cedunt. n. 24.

42. Irritatio est annullatio voti facta ab habente potestatem dominativam. Alia est impropria, & indirecta, quæ potius suspensio dicenda est, & respicit materiam promissam impediendo ejus executionem, quatenus sibi præjudicare potest: & hanc irritationem facere potest etiam qui dominativa potestate caret, prohibendo materiam vel impediendo executionem quatenus præjudicalem. Alia propria, & rigorosa, quæ vinculum vo-  
tura I. sua

ti omnino extinguir, & provenit a potestate dominativa vel in personam promittentem directe, & per se, vel in materiam promissam, de qua subditus disponere nequit independentem a domino, sive Superiore. Irritatio propria, & directa provenit ex iplo jure naturali; & sic possunt parentes, & domini infidelis vota filiorum, & servorum resipiscive, si quæ sunt valida, irritare. Irritatio & valide, & licite etiam absque causa fieri potest. Tract. 17. cap. 3. num. 25. 27. 31. Potestatem irritativam directam habent Prælati Regulares, Parentes, Mariti, & Domini respectu suorum subditorum. Unde Summus Pontifex non potest directe irritare vota omnium fidelium, sed tantum Ecclesiasticorum de rebus ad Ecclesiastica beneficia, & bona pertinentibus; & vota simplicia Religiosorum, & Monialium ut supremus Prælatum. Episcopi possunt tantum irritare vota simplicia Monialium sibi subjeclarum, non vero exemptarum, aut Religiosorum, vel Clericorum, aliorumve secularium suæ Diocesis; quia super hos non habent potestatem dominativam, sed tantum jurisdictionem. Nullus potest vota propria irritare, vel alteri talem irritationem committere. n. 32. 33.

43. Non requiritur ad irritationem, quod Superior votum irritandum in sua specie cognoscat; nec requiritur consensus illius, qui votum emisit. Tract. 17. cap. 3. num. 34. Omnia vota Religiosorum etiam compatibilia cum oblatione, etiam si interna sint, eujuscumque rationis facta absque Superiorum consensu, & approbatione, sive facienda, possunt ab ipsis Superioribus irritari, non tamen vota constitutiva statum, sive sint simplicia, sive solemnia, nec vota quæ in aliquibus Religionibus sunt annexa tribus voris substantialibus, nec votum transeundum ad arctiorem Religionem; quæ nec ullus Prælatum, nec ipse Summus Pontifex irritare potest. num. 38. Prælati habentes potestatem irritativam respectu Regularium sunt: Generalis in toto Ordine, Provincialis in  
P sua

fua Provincia, Superior localis in suo Conventu respectu suorum subditorum, & etiam hospitem, qui illi subduntur; Nuncii, vel Legati, & Summus Pontifex, non tamen Cardinalis Protector. Hac quoque potestate gaudent Prælati secundarii Conventuum, ut sunt Superiores &c. cum Prælati ultra 24. horas abest a Conventu: immo etiam non absente Prælato, possunt Religiosum eo tempore, quo impletur erat votum, occupare per ea, in quibus horum subditur jurisdictioni, ac si tale votum non haberet. n. 39.40. Prioris, & Abbatissæ possunt omnia vota suarum monialium irritare, sicut Prælati Regulares vota suorum subditorum; quia potestas irritativa non est jurisdictionis sed dominativa, quæ etiam mulieribus competere potest. Prælati, & Magistri novitiorum possunt ea vota novitiorum suspendere tempore novitatus, quæ vel incompatibilia sunt cum exercitiis novitatus, vel ipsos Novitios nimis gravarent: immo tunc ipso jure suspensa sunt, nec eos obligant. Cætera autem Novitiorum vota commutare possunt in aliqua determinata exercitia novitatus. n.41.42.

44. Omnia vota pupillorum, seu imuberum tam realia quam personalia, & mixta, etiam castitatis, vel Religionis possunt a patre irritari; tamen valida sint. Vota personalia puberum, quæ non præjudicant patriæ potestati, nequeunt a patre irritari, bene vero ea quæ præjudicant patriæ potestati, & omnia eorum vota realia, exceptis votis de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, aut de adventitiis, nisi pater horum bonorum administrationem habeat, vel usufructum; excepto etiam voto eundi Romam pro absolutione ab excommunicatione, si eam abique tali peregrinatione obtinere nequeat; exceptis denique quibuscumque votis a filio emissis postquam egressus est a patria potestati. Vota mixta filii existentis sub patria potestate, qua parte realia sunt, possunt a parentibus irritari, sicut, & omnia vota realia minorum; quia quoad hanc partem præjudicant patriæ

potestati; secus quoad partem qua personalia sunt, nisi utraque pars sit inseparabilis, ut votum longi itineris, seu peregrinationis, quod utique eederet in patriæ potestatis præjudicium. num. 47.

45. Tutor respectu pupilli, & Curator respectu minoris eadem possunt vota irritare, quæ pater potest, cum hoc solo discrimine, quod potestas irritativa patris durat quandiu filius est sub patria potestate: potestas vero irritativa Tutoris durat solum usque ad pubertatem; Curatoris autem usque ad annum 25. Si plures fuerint Tutores, vel Curatores, quilibet eorum eandem potestatem habet independentem ab alio. Tract. 17. cap. 3. num. 49. Probabile est non minus ac oppositum posse matrem, etiam vivente, & præsentem patre, & eo mortuo, præsentem Tutore omnia vota imuberum irritare sicut pater; cum hac tamen subordinatione, quod pater ea irritare potest, etiam contradicente matre, non vero mater contradicente patre. Item potest mater irritare vota personalia filiorum, & filiarum puberum, quæ gubernationi domesticæ sibi competenti præjudicant, & etiam vota realia de rebus quarum administratio est penes ipsam. Puerorum imuberum, qui carent patre, & matre, Tutore, Curatore, & ascendentiibus, (nam ascendentes ex parte patris, scilicet avi, & avie loco patris succedunt, & habent eandem potestatem irritativam, quam pater: ascendentes vero ex parte matris ejus loco succedunt,) vota rata, & firma esse, & a nullius voluntate pendente tenendum est: nec posse ab heris, magistris, vel eorum nutritiis irritari. num. 52.54.

46. Potest uxor irritare votum mariti de longa peregrinatione, nisi sit Hierosolymitana in subsidium Terræ sanctæ: nec non & omne aliud longæ absentiæ, etiam ob causam piam: & votum de gestando habitu Eremitæ vel Tertiarii, & votum de non petendo debitum; & quodcumque aliud præjudicans juri illi, quod habet uxor in corpus mariti. Tract. 17. cap. 3. num. 55.

Po-

Potest vir omnia vota tam realia quam personalia uxoris, quæcumque illa fuerint irritare, (non secus ac Prælati vota subditorum, & Pater vota imuberum,) nullo dempto, etiam si fuerit de ingressu Religionis post mortem mariti; quia licet talis materia non sit subiecta marito, voluntas tamen uxoris illi subiecta est, ne novis vinculis abique ejus consensu implicetur. Si mutuo consensu uterque vererit continentiam, vel Religionis ingressum, neuter poterit alterius votum irritare. Si post continentiam votum mutuo consensu emissum iterum mutuo sibi tradiderint corporis potestatem, poterunt deinde sicut antea petere, & reddere; quia mutua illa cessio juris quidam contractus est, qui mutuo pariter consensu dissolvi potest. At talis dissolutio, præcisa gravissima causa, erit grave peccatum. n.58.59.

47. Vota emissa a servis mercenariis qui ad tempus conducuntur, non possunt a Dominis quibus inserviunt directe irritari, sed tantum suspendi, quatenus præjudicantia obsequio, & famulatu sibi debito, & pro tempore talis famulatus: non enim habent domini super hos servos potestatem dominativam. Tract. 17. cap. 3. num. 60. Vota mancipiorum, qui pro sua libertate carent, & sunt in perpetuam servitutem redacti, sive realia, sive personalia emissa de his rebus, in quibus subduntur dominis suis, possunt directe ab ipsis eorum dominis irritari; secus vero vota de rebus in quibus minime subijciuntur. Poterunt ergo a dominis mancipiorum vota de prolixa oratione, de Religionis ingressu, & quæcumque alia præjudicantia debite servituti irritari; non vero vota castitatis, non mentiendi, & si milia nullo modo præjudicantia. n.62.63.

48. Potest quilibet Superior potestatem irritandi habens, licentiam vendendi subdito concessam valide, & licite revocare ante voti emissionem, etiam si non revocare promiserit. Potest etiam votum subditi de licentia inferioris Prælati emissum irritare; secus si fuerit emissum de licentia Prælati superioris. Successor

illius, qui licentiam vendendi dedit, potest & valide, & licite, etiam abique causa, votum, ex tali licentia prædecessoris emissum, irritare, ac si sine licentia fuisset emissum. Quia si successore ejus qui licentiam dedit, irrationem petiit, non tenetur licentiam habitam manifestare. Tract. 17. cap. 3. num. 64. 65. Qui subdito licentiam vendendi dedit, poterit nihilominus votum de sua licentia emissum valide irritare, non tamen licite, nisi iusta interveniente causa. Peccaret autem mortaliter tam Superior sine causa irritans, quam talem irrationem petens. Tunc votum de Superioris licentia censetur emissum, quando subdito concessit Superior facultatem vendendi, vel quando jam emissum approbat, & ratificat. num. 66. 68. 69. Vota a Superiore semel directe, & valide revocata nunquam reviviscunt. num. 70. Irratio facta ab eo qui communi excommunicatione putabatur Superior, & non erat, invalida est. num. 71. Vota emissa a subdito tempore subjectionis nequeunt subjectione soluta irritari ab illo cui tunc subijciebatur. Poterit tamen Pater vota personalia filiorum, ante pubertatem emissas, sed post pubertatem non confirmatas, post emancipationem irritare. num. 72. 73. Vota emissa tempore subjectionis, sed adimplenda subjectione soluta, possunt subjectione durante, a Superiore irritari. num. 74. Nequit Superior vota subditi emissa, antequam subditus esset, irritare. Vota ante Religionis ingressum emissa commutantur in actum Professionis. Licet vota subditi emissa ante tempus subjectionis, a Superiore irritari non possint, possunt tamen suspendi in quantum ei præjudicant. n.75.

49. Indubitatum est esse in Ecclesia potestatem dispensandi in votis. *Dispensatio voti est ablatio vinculi voti, facta nomine Dei ab habente jurisdictionem spirituales in foro externo.* Tract. 17. cap. 3. num. 77. 78. Prælati qui potest cum suis subditis in eorum votis dispensare, potest etiam cum semetipso in propriis votis dispensare, vel alteri, ut secum

P 2 dis-

dispenfet facultatem concedere . num. 79. Habens potestatem ordinariam dispensandi in votis, habet etiam ad commutandum, & e contra; habens vero facultatem delegatam per Bullam, Jubilæum, vel privilegium ad dispensandum, habet etiam ad commutandum; sed non e contra. n. 80. 81. Vota emissa in favorem, vel utilitatem alterius dispensari non possunt, nisi in casibus in quibus & juramenta ejusdem rationis. num. 82. Habens ordinariam potestatem dispensandi in votis, potest eam alteri delegare: secus delegatam habens. num. 83. Certissimum est solos Prælatos Ecclesiasticos jurisdictionem spirituales in foro externo habentes, habere potestatem ordinariam dispensandi in votis: ideoque nec ullus Princeps secularis, quantumvis supremus, nec ullus Parochus, aut simplex Sacerdos, vel alius tali jurisdictione carens, hac ordinaria potestate gaudeat; nec Prioris, aut Abbatissæ, aliæve fœminæ, utpote spiritualis jurisdictionis omnino incapaces. num. 84. Ex delegatione facultas dispensativa in votis inveniri potest etiam in Clerico, sola prima Tonsura insignito, nisi sit conjugatus; nam in hoc ex delegatione tantum Summi Pontificis dari potest. n. 85.

50. Potestas ordinaria dispensativa in votis est primo in Summo Pontifice tamquam in supremo capite, & in Concilio generali, nec non & in Summo Pœnitentiario pro toto orbe; non tamen in aliis Cardinalibus, & Prætoribus Ordinum. Habent quoque potestatem ordinariam dispensandi in votis, qua non sunt Pontifici reservata Legati a latere, & Nuntii in rota Provincia sibi commissa: Archiepiscopi, & Episcopi, nec non & Capitulum Cathedralis, Sede vacante, pro tota Diocesi: Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, & omnes Prælati Regulares respectu suorum subditorum. In voto solemnium castitatis Ordinis annexo, potest Summus Pontifex dispensare, & similiter in votis, quæ in quibusdam Religionibus tribus substantialibus annectuntur; & probabiliter et-

iam in votis solemnibus Religiosæ Professionis. Tract. 17. cap. 3. num. 86. In votis communitatis, seu populi potest ex justa causa quoad eos, qui personaliter voverunt, Episcopus dispensare: quoad alios vero sola Episcopi voluntate tollitur obligatio. n. 87.

51. Omnes Prælati Regulares, scilicet Generalis in toto Ordine, Provincialis in sua Provincia, Prælati localis pro suo Conventu habent potestatem ordinariam: (quam etiam possunt aliis delegare,) dispensandi in omnibus votis & juramentis, in quibus possunt Episcopi suos Diocesanos dispensare. Possunt etiam dispensare in votis Novitiorum, propter jurisdictionem spirituales, quam in eos habent, licet ea irritare non possint. In Novitiorum votis etiam Episcopus dispensare potest, cum non sint totaliter ab ejus jurisdictione soluti. Habent igitur Prælati Regulares, respectu suorum subditorum, potestatem ordinariam dispensandi in quibuscumque votis, reservatis exceptis, exceptis quoque votis substantialibus constituentibus statum, nec non & votis, quæ in aliquibus Religionibus votis substantialibus annectuntur, ut apud nos votum non ambiendi. Et notandum, quod votum triplicis peregrinationis a Regulari emissum, sine licentia Prælati irritum est. Tract. 17. cap. 3. nu. 88. 89. Possunt etiam Prælati cum suis subditis dispensare in votis de licentia a se concessa emissis, nec non & in votis emissis de licentia Prælati Superioris; & insuper in voto transseundi ad arctiorem Religionem, ad quod sufficiens causa erit, si dispensandum creditur in sua Religione melius Deo servitrum; possunt etiam dispensare cum eo qui vovit ingredi arctiorem Religionem, ut laxiorem ingrediatur, dummodo dispensantis Religionem ingrediatur, & sufficit quod putet se in ea melius Deo servitrum. Ita ex concess. Eugenii IV. Possunt denique cum suis subditis dispensare in votis non peccandi, non mentiendi, &c. quoad obligationem ex voto ortam. nu. 90. 91. 92.

52. Habent Confessarii Regulares facultatem

tatem a Summo Pontifice delegatam commutandi quæcumque vota, reservatis exceptis; nec non & dispensandi in iis sive intra, sive extra confessionem, non solum cum sui, vel alterius Ordinis Religiosis, sed etiam cum quibuscumque Sæcularibus undequaque ad se venientibus, sicuti jure ordinario possunt Episcopi cum suis Diocesanis dispensare. Tract. 17. cap. 3. num. 93. 94. Facultas competens Religiosis ad dispensandum in votis, non suspenditur per Bullam Cruciatam. Vota quorum commutatio, vel dispensatio Summo Pontifici reservatur, sunt tantum quinque, scilicet votum simplex castitatis, votum Religionis, Peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compottellanæ. In casu urgentis necessitatis, cum non est facilis recursus ad Pontificem, & est in mora periculum gravis damni spiritualis, vel temporalis, potest in iis Episcopus aut alius jurisdictionem quasi Episcopalem habens dispensare: non vero Confessarii Regulares. Attamen non improbabile est talem dispensationem in casu necessitatis, jure ordinario, pertinere ad Episcopos, & consequenter in iis etiam Regulares Confessarios dispensare posse. In casu necessitatis non est absolute dispensandum, sed tantum quatenus opus est: unde si sola voti suspensio sufficiat, hac sola utendum est. Dispensatus ad nubendum, non est absolute dispensatus in voto castitatis, & ideo si fornicetur, polluat; aut ea mortua ad quam ducendam dispensatus fuit, aliam ducat, peccat contra votum. n. 96. 97. 98. 99. 101.

53. Dicta quinque vota ut sint reservata, debent esse certa, absoluta, & integra: ex quocumque autem capite contingat non esse certa, absoluta, & integra, reservata non sunt. Quodcumque ergo ex dictis votis emissum cum intentione se tantum sub veniali obligandi: aut emissum ex metu sive gravi; sive levi, ad extorquendum votum incusso, reservatum non est. Similiter quodlibet ex dictis votis, si ob aliquam rationem de eo dubitetur an sit reservatum, vel an emissum sit, non esse refer-

vatum judicandum est. num. 102. 103. Nullum ex dictis votis est reservatum, si ex parte materie non sit integrum & perfectum: ut v. g. votum castitatis, quod non sit castitatis absolutæ, perpetuæ, & integræ. Et ideo vota non nubendi, non fornicandi, non se polluendi, non tangendi turpiter mulierem; non petendi debium, reservata non sunt. Similiter reservatum non est votum castitatis pro determinato tempore; nec votum virginittatis prout est virtus distincta a castitate communi, ac prout importat tantum conservationem virginittatis floris, qui per primum actum amittitur: nec votum assumendi Sacros Ordines, quia non est castitatis promissæ sed promittendæ: nec votum castitatis conjugalis, nisi auctoritate Summi Pontificis sit annexum statuti Religiosi alicujus Ordinis militaris; nec denique votum Religionis non approbatæ. n. 104.

54. Minime reservatum est Votum Religionis non approbatæ, nec votum peregrinationis Romanæ, Compottellanæ, aut Hierosolymitanæ, non ad visitandas Basilicas D. Petri, vel D. Jacobi, vel loca a Christo Domino consecrata, sed ob alium quemcumque finem, v. gr. ad videndas illas regiones, ad osculandum Pontificis pedes, ad convertendos infideles &c. num. 105. Prædicta quinque vota emissa cum aliqua circumstantia, secundum eam circumstantiam minime sunt reservata, si absque tali circumstantia maneat votum quoad substantiam; quare si vovisti ire Romam pedester ad visitandam Basilicam D. Petri, poteris ex dispensatione non reservata, ire equitando. Tract. 17. cap. 3. num. 106. Votum disjunctivum de materia reservata, & alia non reservata, ut votum castitatis, vel jejuniandi singulis feriis sextis quoad nullam partem reservatum est, antequam eligat unam partem: immo etiam si elegerit partem reservatam, adhuc probabiliter esse reservatum non esse. n. 107. Juramenta castitatis, Religionis, vel triplicis peregrinationis. Deo facta probabiliter est esse reservata; quia juramentum promissæ.

forium Deo factum, coincidit cum voto, num. 108. Materia in quam commutata sunt vota reservata, ex auctoritate Pontificis, vel ejus delegati, reservata non est; & ideo tale votum subrogatum loco prioris, reservatum non est, num. 109. Votum conditionatum, quod vere, & proprie tale est, nempe quod sub speciali conditione contingenti de futuro emittitur; (Nam conditio de præterito; vel de præsentis, aut necessaria, aut generalis ut si Deus voluerit, aut quæ apponitur ut mera determinatio temporis pro adimplenda obligatione, & non ad eam suspendendam, non reddit votum conditionatum,) quam vis sit de materia reservata, sive sit pure conditionale, sive etiam penale, pendente adhuc conditione, reservatum non est; immo neque post adimpletam conditionem, nisi post positionem conditionis, votum renovaverit, vel ratificaverit, seu novum, & absolutum consensum apposuerit. nu. 110. 111. 112. 114. Concessa per Bullam, Jubilæum, vel privilegium facultate absoluta dispensandi, aut commutandi omnia vota, non censetur concessa ad reservata, nisi id specialiter exprimat. Concessa facultate ad unum v.g. ad votum Religionis, non censetur concessa ad alia quatuor. n. 116.

55. Omnino requiri rationabilem, & justam aliquam causam nedum pro licita, sed etiam pro valida votorum dispensatione, constans est omnium Doctorum sententia: Tract. 17. cap. 3. n. 117. In dubio de existentia causæ dispensatio in votis concedi non potest: in dubio autem de causæ sufficientia, & valide, & licite impendi potest; saluberrimum tamen consilium erit aliquam admiscere commutationem, ut omnis tollatur scrupulus. nu. 118. Si realiter causa dispensandi non adfit, sed bona fide utrinque putetur adesse, valet dispensatio. Ireni valebit si vere causa adfit, sed a dispensante minime cognoscatur; & dispensatus cui constiterit de causæ sufficientia, securus erit in conscientia. nu. 119. Causa dispensandi debet semper esse proportionata cum voti materia; & ideo

gravior requiritur causa pro voto de materia graviore. Ad absolutam dispensationem sine admixtione commutationis, satis est quod causa probabiliter & prudenter credatur sufficiens. n. 120.

56. Si votum non fuit perfecte voluntarium, quia ex metu gravi, sive levi extortum: vel quia ex errore circa causam impulsivam: vel quia fuit precipitanter, & inconsiderate emissum: vel fuit absque plena, & perfecta discretionis factum, quod in votis omnium impuberum præsumitur: vel ob aliam rationem; adeest causa sufficiens absolutæ dispensationis. Dispensatio autem voti ob defectum plenæ libertatis, raro sine admixtione compensationis impendi debet. Vota vero cum maturo consilio, plena, & perfecta libertate, absque ullo errore, aut metu emissa, ideoque perfecte, & absolute voluntaria dispensari non possunt, nisi ex causa obstante eorum executioni. Igitur absque alia causa ob præsumptum libertatis defectum absolute, & absque commutatione dispensari possunt vota impuberum: nec non & vota orta ex ira, tristitia, metu, vel alia passione, vel etiam ex metu mortis, naufragii, vel cujuscumque alterius mali. Quando autem votum fuit cum maturo consilio, & perfecta libertate emissum, sufficiens causa erit pro dispensatione: si detur periculum transgressionis: si contingat gravis difficultas in executione, etiam si prævia fuerit in emissionis voti, & etiam si orta sit ex malitia, vel prava consuetudine ejus qui vovit: si voto adstrictus vexetur magnis scrupulis in ejus adimplentione: si dubitetur an tale votum sit impeditivum majoris boni: si bonum commune aliquo modo impediat: si cedat in damnus domus, vel familia; si dispensatio cedat in majus bonum spirituale dispensandi; & tandem si ex dispensatione dependeat conservatio illustris familiæ, vel Religionis, poterit etiam ex hac causa admixta aliqua commutatione dispensari. Tract. 17. cap. 3. n. 121. 122. 123. 124. 125.

57. Commutatio voti est cum remanente obligatione voti, ejus materia in

aliam

aliam commutatur. Est actus jurisdictionis spiritualis non minus quam dispensatio. Omnes & soli, vota possunt commutare, qui in eis possunt dispensare. Tract. 17. cap. 3. nu. 126. 127. Certum est quod qui potest aliorum vota, potest eodem modo etiam sua propria commutare. nu. 128. Potest quilibet etiam non habens potestatem ordinariam aut delegatam ad commutanda aliorum vota, sui ipsius vota, reservatis exceptis, in evidenter melius commutare, sive contineat materiam promissam, sive non contineat: nunquam tamen in deterius; & hæc commutatio non est actus jurisdictionis, sed superabundans voti adimpletio. nu. 129. 130. 132. In evidenter æquale probabilius est neminem posse propria auctoritate, sive cum causa, sive sine causa sui ipsius vota commutare; taleque commutationem invalidam esse, & peccatum mortale, nisi sit ex iis qui ordinaria, aut delegata gaudent potestate. nu. 134. 135. Commutatio quando conjungitur cum dispensatione, potest ab habente legitimam potestatem fieri in rem inferiorem. At sine dispensationis admixtione, probabile quidem est posse fieri commutationem in rem inferiorem, si non sit notabiliter inferior; probabilis tamen est, debere sub mortali fieri in rem moraliter æqualem. n. 138. 139.

58. Ad ream commutationem non est necesse, quod votum reale commutetur in aliud reale, & personale in personale; nec quod detur in materia æqualitas mathematica rei ad rem; sed sufficit quod materia in quam commutatur votum, cedat æqualiter in Dei obsequium, & voventis utilitatem, attentis hic, & nunc omnibus circumstantiis personæ, operis, loci, temporis, & finis ipsius emissionis voti. Primo igitur pro recta commutatione, attendi debet materia ipsa secundum se: 2. conducencia ejus ad finem intentum per votum; 3. Ipsius finis intenti excellentia major, vel minor; 4. Difficultates in adimplentione rei promissæ, & subrogatæ. Tract. 17. cap. 3. num. 140. 142. 143. Non

cum tanto rigore exigitur causa pro commutatione, sicuti pro dispensatione. Quando in Jubilæo, vel Bulla datur facultas commutandi, nulla alia causa requiritur, præter id quod in Bulla prescribitur. Ad commutationem in æquale auctoritate ordinaria, vel delegata faciendam, quæcumque sufficit causa, etiam levis, & etiam tantum ad condescendum petitioni; & solum erit illicita, si non petita fiat. Similiter quando commutato sit in evidenter melius, hoc ipsum pro causa sufficit, nec alia requiritur. Et idem dicendum quando certum est esse in æquale, & probabiliter in melius. num. 144. 145. Commutatio in minus, absque rationabili causa facta, non solum illicita est, sed etiam invalida, ita ut vovens etiam post adimpletionem materiæ subrogatæ, teneatur ad adimpletionem prioris, & hoc probabilius est. nu. 148.

59. In facultate quæ conceditur per Bullam Cruciatam ad commutanda vota, præter votum castitatis, & Religionis, excipitur etiam ultramarinum: in facultate vero per Jubilæum excipitur tantum votum castitatis; & Religionis; ideoque ad alia non excepta censetur concessa facultas. Sed notandum quod in exceptione solum intelliguntur comprehendi vota castitatis & Religionis, quando sunt perfecta, integra, & completa; nam hæc tantum sunt reservata; ut supra dictum est. Ut virtute Bullæ Jubilæi, aut privilegii fiat votum commutato, non requiritur Sacramentalis confessio. Tract. 17. cap. 3. nu. 151. 152. Votum, vel juramentum emissum in favorem tertii, & ab eo acceptatum nequit sive ordinaria, sive delegata facultate commutari aut dispensari sine ejus consensu. nu. 156. Votorum commutatio per Jubilæum concessa, et qui Jubilæum debite suscepit, potest etiam transacto Jubilæi tempore, virtute illius impendi, sive tempore, sive oblitus fuerit eam petere. Secus dicendum de commutatione per Bullam Cruciatam. Vota commutata virtute Jubilæi cum animo,

mo, & intentione lucrandi illud, etiam eo postea non lucrato, non redeunt in pristinum, sed valet commutatio. Secus dicendum si commutatio facta esset in ipsa opera, per quam acquiritur Jubilæum, & sub conditione ea exercendi. Non peccat mortaliter qui bona fide, animo lucrandi Jubilæum, commutationem obtinuit, & postea voluntarie illud non suscepit. n. 157. 158.

60. Regulariter veniale peccatum committit Confessarius, qui requisitus a penitente commutationem sine iusta causa negat. Tract. 17. cap. 3. num. 159. Commutatio virtute Bullæ Cruciatæ, tota fieri debet in subsidium temporale pro belli expeditione; vel saltem partialiter; aut si vovens pauper sit, in subsidium spirituale per jejunia, preces, aut alia opera pia: & omnes istæ tres intentiones sunt probabiles, ac tutæ. n. 160. 161. 162. Facta, per legitimam potestatem commutatione, tenetur vovens ad materiam subrogatam, & liberatur ab obligatione prioris, quamvis materia subrogata, etiam culpabiliter impleta non fuerit, vel evaserit impossibilis. num. 164. 165. Si commutatio facta sit propria auctoritate, casu quo materia subrogata omiffa sit, vel reddita impossibilis, ad priorem redire tenetur. num. 166. Facta per legitimam potestatem commutatione, sive in minus, sive in æquale, sive etiam in melius, liberum est semper voventi redire propria auctoritate ad priorem materiam: & si commutatio pluries facta sit, poterit redire ad quam voluerit. n. 169. 171.

## CAPUT IV.

## De Adjuratione.

61. **A**djuratio est confessio rei sacre, per quam adjuratus imperat, aut observatione inducitur, ad aliquid faciendum, vel omitendum. Tract. 22. cap. unico, num. 1. Alia est deprecativa: alia imperativa; alia solemnis, alia pri-

vata. nu. 2. Sola adjuratio per factum numen, vel ad obtinendum aliquid mortaliter peccaminosum, est peccatum mortale. nu. 4. Adjuratione privata omnis creatura rationalis adjurare potest; solemni vero, soli Exorcistæ. nu. 5. Potestas expellendi demones, quantum est Ordinis, æqualis est in omnibus Exorcistis: secus in quantum est gratia gratis data. nu. 6. Puritas conscientiæ, seu Gratia sanctificans non est omnino necessaria ad demones expellendos, valde tamen adjuvat. nu. 78. Omnis, & sola creatura rationalis potest licite adjurari. Deum posse deprecative adjurari, certissimum est. Demones adjuratione tantum adiva, seu imperativa licite adjurari possunt. nu. 9. 11. Creatura irrationalis adjurationis est incapax; exorcismi autem contra Locustas, &c. non immediate contra eas procedunt sed contra demones earum motores. nu. 12. 14. Exorcismus nihil aliud est quam illa ratio, seu formula, qua demones per Deum adjurantur, & exire coguntur. nu. 15. Exorcismi habent ex opere operato virtutem non quidem physicam, sed moralem per modum impetrationis ad demones expellendos, & nociva arcenda. n. 17. Exorcismi infallibilem semper consequuntur effectum vel totalem, & completum, vel partialem, seu vialem, incompletum, & imperfectum. n. 23.

62. Præter exorcismos sunt alia, quæ etiam seorsim accepta virtutem habent ad demones expellendos, scilicet invocatio nominis Jesu, Crux Christi, usus Reliquiarum, Agni Dei, & aqua benedicta. Tract. 22. c. unico nu. 24. Nulla res corporalis habet virtutem naturalem ad directe, & per se demones expellendos; bene vero indirecte, scilicet non contra, seu in ipsum demonem agendo, sed contra eas dispositiones, vel res naturales, quibus utitur ad homines vexandos. n. 29. 30. De fide est demones, hominum corpora subintrare. nu. 33. Ad hoc ut quis vere sit demoniacus non sufficit exterior demones assistentia; nec vexatio per morbos vel alia maleficia;

ficia, sed requiritur quod diabolus corpus obsessi subintret, ipsumque immediate per se vexet, & potestatem habeat sibi manendi tanquam in proprio domicilio, & cum interius, exteriorque torquendi. nu. 34. Per quamcunque partem possunt demones corpus obsessi penetrare. nu. 36. Potest demon ad liberum totum corpus, vel quamlibet ejus partem occupare. nu. 37. Ex omni ordine, & principatu possunt demones humana corpora intrare. nu. 39. Plures simul possunt idem corpus intrare, & tunc obsessus majorem pati solet vexationem. n. 40. 41.

63. Demoniacæ vexationis signa sunt: si homo loquatur lingua sibi ignota: si scientias, quas nunquam didicit calleat: si postquam arripit cessat, neiciat amplius loqui: vel respondere de iis: si revelet, quæ via naturali sciri nequeunt, absque pacto cum demone, & maxime si talis revelatio careat honesto fine: si etiam invite, aut voce inconsueta loquatur: Si proferre renuat nomen Jesu, aut alicujus Sancti nomen invocare, vel Crucem, aut Reliquias adorare: si insit trunclentus vultus, stupor, inquietudo, vires extraordinariæ ad rumpendas catenas, &c. Tract. 22. cap. unico nu. 42. 43. Demon habet vim non modicam, tam in animam, quam in corpus obsessi, prout Deus illi permittit: in corpus quidem directe, in animam vero indirecte. nu. 45. 46. Nullum peccatum committunt obsessi, quando aliquid peragunt per violentiam, aut sensuum perturbationem: bene vero si tentatione, suggestionem, vel suasionem allecti peccaminosa committant; quia tunc libere consentiunt. n. 48. 49.

64. Exorcista ad demones expellendos processurus, se munire debet spiritalibus armis: Fide, Spe Oratione, jejuniis, humilitate: confessione quoque & communione sui ipsius, & energumini præmissa, uterque impavidus, ut Christi minister bellum contra diabolum aggrediatur. Tract. 22. cap. un. nu. 50. Exorcistæ ea tantum demones imperare, & ab eo interrogare licet, quæ ad, ejus

expulsionem conducunt. nu. 51. Non licet demones imperare ut ipse demones inferiores expellat; bene vero ut ipse cum omnibus locis exeat. nu. 52. Potest licite cogi ad manifestandum nomina, & numerum eorum, & causam ingressus; & ad dandum signum egressus. nu. 53. 54. Peccat mortaliter Exorcista, si cum demone obditate longos sermones habeat: si interrogando hanc vel illam rem ab eo dicere velit: si interroget cum periculo quod occulta delicta pandat: si interroget non coactive sed deprecative. At si coactive, & imperitive absque periculo infamiz proximi aliquid inutile interroget; erit tantum peccatum veniale curiositatis. nu. 56. Cavendum est ne cum demone jocosa, aut nugatoria miscantur; neve sit naturæ plura loqui quam opus sit. n. 57. Non est illicitum Exorcistæ aliquid a demone, semel vel iterum coactive querere quod in Dei gloriam, & proximi utilitatem cedit. n. 59.

65. Ex solo demones testimonio de nullitate baptismi, nisi adsint alia rationabiles conjecturæ non licet aliquem inter fideles natum, & educatum etiam sub conditione rebaptizare. Tract. 22. cap. un. nu. 69. Alapis, flagellis, sputis, &c. energumenum afficere, vel opprobriis, si in demone contemptum fiat, & prudenter, si sine crudelitate, & sine usu rerum indecentium, & immundarum, licitum est. n. 76. Communiter obsessi exorcisandi sunt in Ecclesia. Moniales vero ad crates tantum. Exorcizanti appropinquare non debent mulieres, quia timidæ, & credulæ cum sint, exorcismos impediunt: similiter pueri, otiosi curiosi, & omnes indevoti. nu. 78. 79. Demones obidentes sunt ex iis, qui in hoc caliginoso aere existunt. nu. 82. Egressum renuntio ob invidiam, & livorem in homines. nu. 90. Lunatici, surdi, & muti, & omnes qui majorem a Deo habent in obsessos potestatem, difficiliter ejiciuntur. nu. 91. Egressus demones signa infallibilia nulla sunt. Signum probabilius est, si diu homo a molestitis diabolicis sit immunis. nu. 92. Non

Non sunt petenda signa alicui nociva. nu. 93. Petitioni demonis egressuri, si non sit contra honorem Dei, vel bonum proximi, annui potest. n. 94. Regulariter loquendo, uno demone expulso omnes expelluntur. nu. 95. Dantur quædam loca Spectris, & Spiritibus malis infesta, & præcipue tempore noctis, ut pote ad terrendum magis opportuno. n. 96. Eisdem armis Ecclesiasticis, quibus ab energumens, etiam a domibus, aliisque locis expelluntur. nu. 106. Larvas & alia spectra fabis nigris, armis, sanguine innocentium, & similibus effugare, superstitiosum est. n. 107. 108.

## TRACTATUS IV.

## De tertio Decalogi præcepto.

## PROÆMIUM.

Remotis per primum, & secundum Decalogi præceptum veræ Religionis impedimentis, & stabilito vero Dei cultu interro per Fidem, Spem, & Charitatem, consequens erat ut tertium præceptum de externo cultu Deo exhibendo poneretur. Quamvis autem hoc præceptum quoad exhibitionem cultus sit divinum; quoad determinationem ejusdem cultus, & temporis, cum sit Ecclesiasticum, solent Doctores hoc loco Ecclesiæ præcepta inferere. Verum quia de 4. Ecclesiæ præcepto actum est capite præcedenti: & de 2. & 3. agitur. Tract. 13. & 14. ubi de Eucharistia, & Pœnitentia; hic solum restat agendum de jejuniis; & decimis.

## CAPUT I.

## De Sanctificandis Festis.

## §. I.

De Fæstorum institutione, & qui ad ea teneantur.

**P**ræceptum de sanctificatione Sabbati inter Decalogi mandata congruenter positum est. Tract. 23. cap. 1. nu. 2. Hoc præceptum est morale, seu naturale est, & est ceremoniale. Ut naturale est, importat obligationem vacandi Deo aliquo tempore: ut ceremoniale est, determinat tempus. nu. 3. 4. Unice hoc præcepto, exterior Dei cultus præcipitur. nu. 9. Est affirmativum. nu. 15. Observantia Sabbati, quantum ad determinationem hujus diei non obligat Christianos, sicut nec obligabat alias nationes a Judæis. nu. 22. 24. Sabbati festivitas ab Ecclesia mutata est in Dominicam, propter multas rationes. nu. 30. Festivitas diei Dominicæ est tantum de jure Ecclesiastico. nu. 38. Sicut Judæis alia festa fuere præter Sabbatum; ita & Christianis præter diem Dominicam alia festa præscripta sunt, quæ Urbanus VIII. in sua Bulla 291. designat, aliis exclusis: iis tamen ex Decreto Clem. XI. additur festum Immaculatae Conceptionis. nu. 78. Urbanus præter illa festa quæ assignat de præcepto, concedit insuper quod de tribus principalioribus Patronis, videlicet Regni, Provinciæ seu Diocesis, & Civitatis vel Oppidi celebrari possit festum de præcepto. Et ad hæc festa observanda etiam Regulares tenentur. Electio autem Patroni juxta Decretum S. Rit. Congr. 23. Martii 1630. relatum a Gavanto Secti. 3. cap. 12. nu. 2. facienda est. nu. 102. 104. 108. 109.

2. Summus Pontifex, & Concilium generale legitimè, festa de præcepto pro tota Ecclesia instituere possunt. Tract. 23. cap. 1. nu. 104. Item Episcopi pro sua Diocesi, etiam sine Cleri, vel populi

puli consensu. nu. 112. Non tamen de Beatis nondum Canonizatis, pro quibus nihil statui potest inconsulata Sacra Congregatione. nu. 115. Nullus Princeps secularis potest dies festos præcipere. Et si quando vacationem a servilibus jubent; tenentur quidem subditi obedire sub pena, non tamen sub mortali ex vi præcepti. nu. 118. 119. A media in medium noctem dies festus computatur. nu. 123. Festum de præcepto cadens in diem impeditam transferatur tantum quoad Officium Ecclesiasticum, non vero quoad Indulgentias, & obligationem vacandi a servilibus, & audiendi Sacrum; nisi occurrat in fer. 6. vel Sabbato Majoris hebdomadæ, quia tunc transferatur etiam quoad obligationem audiendi Sacrum, & vacandi a servilibus. nu. 126. Præceptum sanctificandi Festa ex se obligat sub mortali ad audiendum Sacrum, & abstinendum ab operibus servilibus etiam præcisò scandalo, & contemptu. Ad nihil aliud obligat. n. 127. 129. 143.

3. Omnes utriusque sexus fideles rationis compotes ad servanda festa de præcepto universalis Ecclesiæ tenentur; quæ obligatio regulariter incipit post completum septennium. Tract. 23. cap. 1. nu. 144. Peregrini, & viatores; (exclusis vagis, & domicilium mutantibus,) dum a proprio Territorio absunt, ad leges, & festa particularia propriæ Patriæ non tenentur. Vagi tenentur ad festa locorum per quæ transeunt: mutantibus vero domicilium tenentur ad festa loci ubi habitare incipiunt. nu. 150. 152. Discessurus a propria Patria ubi festum colitur, & abiturus ubi festum non est, si in loco a quo discedit unica tantum Missa summo mane celebratur, tenetur eam audire ante discessum; fecus si tarde celebratur, quia non tenetur expectare: similiter si plures Missæ ibi dicantur, & discessurus sit antequam ultima celebratur, non tenetur Missam prius audire. nu. 158. Non tenentur Peregrini ad leges, & festa particularia locorum, per quæ transeunt, ibique morantur tantum per duos, vel tres dies. n. 159. Scholares, milites, aulici, mer-

cenarii, &c. qui per majorem anni partem, vel per plures menses, aut per multos dies v. gr. 8. vel decem in aliqua civitate morantur, tenentur ad leges, & festa civitatis illius, vel loci. nu. 161. 164. 167. Regulares exempti tenentur servare festa quæ pro tota Diocesi ab Episcopo, seu Diocesana Synodo indicuntur, non autem festa particularia ex voto, aut consuetudine alicujus Civitatis, vel Oppidi introducta, licet ab Episcopo sint approbata. n. 181. 182. Si festum aliquod sit introductum universaliter consensu tum populi secularis, tum utriusque Cleri secularis, & Regularis, ad illud tenebuntur Regulares: hoc tamen difficultum est: & ideo Regulares nisi scandalum sequatur, ad festa particularia locorum ex voto, aut consuetudine introducta non tenentur. nu. 184. 185.

## §. II.

## De præcepto audiendi Sacrum.

4. Præceptum sanctificandi festa ad duo obligat, nempe ad audiendum Sacrum, & abstinendum a servilibus. Tract. 23. cap. 1. num. 197. Ad audiendum Sacrum omnes fideles rationis compotes, & etiam Sacerdotes non celebrantes sub mortali tenentur. Per auditionem cujusque Missæ private in quacunque Ecclesia, quocumque ritu ab Ecclesia approbato celebrata, satisficit præcepto auditionis Sacri in die festo. Tract. 5. cap. 6. num. 1. Per auditionem Missæ ante mediam noctem Nativitatis Domini celebrata, satisficit præcepto ejusdem diei Nativitatis. Tract. 23. cap. 1. nu. 209. Omissio Sacri ad initio usque ad Evangelium exclusive, vel a communionem peracta usque ad finem in die festo non est peccatum mortale, quia non videtur materia gravis: non assistens autem consecrationi, vel communioni, vel a consecratione peracta usque ad Pater noster, mortaliter peccat. Tract. 5. c. 6. nu. 2. 3. 4. 5. Satisfacit præcepto, qui dimittit Missam ab uno Sacerdote, & aliam